

1
7
29








Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.7.29

697 VII

in BARB:

& DORMAL

1641

IN MAPHAEI S.R.E. CARDINALIS BARBERINI, NVNC VRBANI PP. VIII. POEMATA.

HENRICI DORMALI PRODROMVS.

Αἰεὶ νέος, ὃυ νέος αὐτός.



Semper nouus, haud nouus idem.



ROMÆ,
Excudebat Franciſcus Moneta MDCXLI.

Facta à Superioribus poteſtate.

Imprimatur si placet Reuerendiss. P. M. Sac. Pal. Apost.
Io. Baptista Episc. Camer, Vicesgerens.

Ex commissione Reuerendiss. P. Sacri Palatij Apost. Magistri, Prodromum hunc attente perlegi, in quo Poemata Maximi, Sanctissimique Vatis omnimoda eruditione fœcunda Clarissimus vir Henricus Dormalius I.C. collatis tum Sacræ, tum profanæ literaturæ principum sensis commentari auspicatur. Et incomparabilis Pontificis rarus interpres, authori suo fideliter insistens, vbique spirat elegantem, doctamq. pietatem. Ideoq. non solũ inoffenso pede excurrere poterit hic Præcursor, sed vtilitatis erit non modicæ, si reliquus fauus Barberinæ Poeseos tam nobili torculari commissus, suauitatem castissimæ eruditionis exprimat in publicum. Censebam Romæ in Sem. Missionum B. Mariæ de Victoria Carm. Excalc. iij. Idus Nouemb. MDCXL.

Fr. Isidorus à S. Ioseph in eodem Sem. S. Th. L.

Imprimatur
Fr. Thomas Aquauiua, Magister, & Socius Reuerendiss. P. Fr. Vincentij à Florentiola Ord. Prædicatorum Sac. Pal. Apost. Mag.

AD

ILLVSTRISSIMVM

ET SPEI MAXIMAE

ADOLESCENTEM


IOSEPHVM

D'IACETTIVM

ILLVSTRISS. COMITIS

CASTROVILLANI

VNICVM.





ILLVSTRISS.^ME DOMINE.

EFFLAGITAS quotidiano penè conuitio, & tantum non cogis, me tibi Poemata ſacra VRBANI Pontificis nõ ſolum voce, ſed etiã ſtyſo præire; Difficile eſt tibi parere Ioſephe nobiliſsime, nam ſi Platoni credimus, oportet Poetæ non ſolum interpretem, ſed & interpretis auditorem, ſiquidem idonei futuri ſint, diuinitus eſſe afflatos. Poeta eſt ordine primus, medius interpres, auditor eſt tertius: In VRBANO Pontifice proponis mihi præcellentem Poetam, qui vndique diuinum ſpirat: in te exhibes idoneum auditorem: in illa enim cerea ætate, quaſi nouus παιδαριογέρων, ingenio & iudicio præcurris annos, genere & interna pulchritudine poſsis ipſum Charmidam prouocare. Habemus itaque Poetam & auditorem, ſed ego ve-

reor

reor vt possim Ionem repręsẽtare: qui enim possim ego par esse capiendæ, nè explicandæ dicam tantæ pietati & doctrinæ? optimum igitur erat ruditatem meã ramo protegere & cælestem hanc citharam (vt olim solebat in conuiuijs) alteri increpandã transmittere: periclitandum est nihilominus mihi & tibi parendũ, non tam præstandi quod exigis fiducia, quam negandi verecundia. Conabor igitur tibi Platonicum Rhapsodũ exhibere; vel hac potissimum ratione. Isocrates tuus quẽ admiraris, docet filios tam bonorum, quam paternæ amicitiæ hæreditatem cernere debere; Ego vero te ò Iosephe vellem hac mea qualiquali commentatione tantæ, & tam nobilis familiaritatis, quanta hactenus generosissimum tuum Parentem dignatur Summus noster & Vates & Pontifex, non tam olim hæredem, quam iam nunc consortem statuere. Sit igitur tibi hoc meum commentum tantæ Pontificiæ dignationis & clientelæ participatio & nexus: sit paternæ fidei & obseruantiæ ad-

uersus

uerſus Eminentiſsimos Principes Cardinales Barberinos, Antonium Pontificis pietate & ſanguine germanum, Maiorem Pœnitentiarium, & quod mireris præiuratæ voluntariæ paupertatis, & humilitatis, in ipſa purpura retinentiſsimum. Franciſcum Nepotem digniſsimum S. R. E. Vicecancellarium, & magno Patruo totius oneris Pontificij infatigabilem co-Atlantem, qui mihi te & tua ſtudia commendauit. Antonium S. R. E. Camerarium Nepotem alterum, humanitate Titum. Excellentiſſ. Principem Thadæum Præfectum Vrbi, vigilantia Veſpaſianum; aduerſus totam denique Excellentiſsimam Domum Barberinam, æternum exemplar, & imitamentum. Iamque vt intelligas dum hæc Poemata euoluo, Barberinam Muſam mihi tamquam cicadas Socraticas aſpiraſſe, viſus ſum mihi iure meo facturus, ſi epiſtolam verſibus clauſero:

Ἀμ.

Ἀγγελικοὺς ὀάροις ποτὲ τοὺς ὁ τρίγλωττος ἀοιδῶν
Συγκατέμιξε λύρᾳ ΟΥΡΒΑΝΟΣ ἀρχιερεὺς
Ἄρχου ὑποψῆλαι, σὲ ταναῶ παράγοντος ἐμεῖο
Ἰωσῆφε φθόγγων οἶμον ἐς ἀμφοτέρων,
Τ᾽ ἄλλα δὲ τῶν λυρικῶν παραμείβεο, τοῦτο γὰρ ἀρκεῖ
Σοὶ μόνον ἐπιστήμης δεῖγμα καὶ εὐσεβίης.

Angelicos numeros olim quos ore trilingui
E Barberinis Pontifex iunxit lyræ,
Incipe ſaccantare, viam monſtrante Latinæ
Ioſephe linguæ me tibi & Pelaſgicæ;
Neu lyricos quæras alios; tibi ſufficit vnum
Pietatis hoc exemplar, hoc ſcientiæ.

Illuſtriſsimæ D. T.

Humilis ſeruus
Henr. Dormalius.

POESIS PROBIS, ET PIIS
ORNATA DOCVMENTIS
primæuo decori reſtituenda.

QVærentem viridi præcingere tempora lauro,
Labraque Pegaſei tingere fontis aqua.
Me vocat antiquo ſpoliata decore Poeſis,
Seque ſacra formæ luce carere dolet, &c.



ET lemma ipſum primum & Elegia meò deducunt, vt altius, latiuſque tractem de Poetica, nec enim aliter conſtabit, quænam ſit illa Poeſis, quam nobis commendat Auctor noſter, & Pontifex, quod ipſum explicare inſtitui, iuxta mentem Platonis, nam Ariſtoteles quare hac in parte minus ſatisfaciat, infra patebit.

Proclus Philoſophus celebris Platonis interpres triplicem ſtatuit animæ rationalis habitum, ſiue, vt ipſe vocat, vitam, & ſecundum iam dictam diuiſionem vitarum, triplicem etiam facit Poeticam; ſed antequam hæc coner interpretari, viſum eſt tantum præfari, vt ſi cui forte qui hæc leget, videbor Procli, neque mentem ingenio, neque elegantiam ſtylo æquare, illum ego præmonitum volo ijſdem verbis, quibus præmonet lectorem ſuum Neotericus ſcriptor in verſione Dialogorum alterius linguæ. *Prima, che tu tocchi, Signor Lettore, il polſo à queſti miei Dialoghi, ti voglio dir la loro infermità, ſono tradotti, e per conſequenza corrotti*. Idem ego profiteor de mea traductione, idem verum eſt in aliorum quorumuis traductionibus, velint nolint, ſcriptum eſt enim: ὀ γαρ' ἰσοδυναμεῖ, &c. nã deficiunt verba Hebraica quando fuerint tranſlata ad alteram linguam; proinde qui voles dulcius bibere ſcias tibi adeundum eſſe ipſum fontem, alioqui ſæpe non ſolum turbidam, ſed etiam alienam bibes.

Dialogos apazibles Francioſini.

Vid Prolog. Eccleſiaſt. Sirach.

Prima animæ vita optima, & abſolutiſſima eſt extatica, qua anima ſe ipſam egreſſa, & ſupergreſſa cõiungitur & vnitur Deo, viuens iam non amplius ſuam, ſed diuinam vitam, qualem

ducebat, & docebat ille, qui aiebat; Viuo ego iam non ego; &c. Huic diuinæ vitæ respondet Poesis illa, quam ἔνθεον .i. diuinam vocant Platonici. Hāc vitam & poesim habuerunt omnes Prophetæ, & excellenter illi, quos nobis proponit imitandos Pontifex, non solùm Moyses, Dauid, & alij, quorum Cantica, in principio sui operis paraphrasticè Latio donauit; sed etiam illi, qui ante legem floruerunt; inter quos facilè primas tenet Iob, qui ante legem (duabus enim ætatibus Moysen antecessit) Euangelica vita, & diuina poesi orbi præluxit. hunc, & similes innuit Pontifex in verbis: *Veteres quæ cecinere Patres*: sub lege proponit nobis inter alios imitandum Dauidem Regem, Prophetam, & Poetam excellentissimum; quem ideo pluribus in hac prima Elegia, & in Epistola ad Antonium Caroli fratris filium prosequitur; & tandem in eiusdem laude concludit. Cæterum Psalmodiæ Dauidicæ excellentiam, qui volet penitius inspicere, legat D. Basilij præfationem elegantissimam in Psalmos, & D. Athanasij epistolam exactissimam ad Marcellinū.

Tempore gratiæ floruerunt prima hac vita & poesi Patres Græci, & Latini, quorum partem citat Pontifex in dicta epistola ad Antonium, &c. sed enim supra omnes mortales, quotquot ante, & post legem & Euangelium fuerunt, eruntque, eminentissime tenuit quatuor illas species diuini furoris, quas ad vnionem, siue vitam cum Deo requirit Plato in Phædro, Deipara Virgo. Nam quoad primum furorem qui est poeticus: Magnificat, inquit, anima mea Dominum; nemo vmquam Angelorum, vel hominum vsus est tam audaci enthusiasmo; Quid canis ò diuina Mimallon? tune potis es magnificare Dominū, qui facit mirabilia magna solus? in te ipsā incurris; nā eodē Cantico: Respexit Dominus humilitatem tuam ancillarem, & hinc tua magnitudo. Item, fecit tibi magna, qui solus potēs est Dominus, non capio, non intelligo, ἵλαθι καὶ μετάδος μοι σῆθεν ἐκστάσεως, sis bona, meque tuo Virgo furore bees. Hic obiter notandum in furore hoc sacro, siue excessu, vt vocat Psalmista, non esse os rabidum, & fera corda, qualia Sibyllæ adscribit Maro: nō vi denique multa ardētes oculos, quales erant Protei: nō etiā enthusiasmū Iunonium, quali erant percitæ illæ in sola secretæ Troades acta: nulla enim est hic amentia, sed sapientia; nullæ tenebræ, sed lumen; nulla vis, sed amor; nulla denique confusio, sed diuina vnio: πονηρὰν μὲν τὴν δαιμόνων συγχυτικὴν τῆς διανοίας ἐπιβουλεύουσαν τῇ ἀνθρωπίνῃ φύσει οὐκ ἀπίθανον, θείου δὲ πνεύματος παρουσίαν τ' αὐτὸ τοῦτο λέγειν ἐνεργεῖν ἀσεβές, non dissimile veri est improbam dæmonum vim naturæ humanæ insidiantem confun-

Furor diuinus non est amentia.

dere

dere mentem, verum ſi quis dicat ſpiritus diuini præſentiam, idem hoc efficere, hic impiè dixerit. τὴν ἔκστασιν igitur .i. raptum interpretatur D. Baſilius ἔκπληξιν admirationem, ac ſtuporem. Quomodo autem fiat iſte exceſſus breuiter narrat Diſcipulus dilectus; Poſt hæc vidi & ecce oſtium apertum in cęlo & vox prima quam audiui tamquam tubæ loquentis mecum, dicens: Aſcende huc, & oſtendam tibi quæ oportet fieri poſt hæc, & ſtatim fui in ſpiritu. In primis requiritur corpus, & anima pura, qualis erat huius Diſcipuli, Samuelis, Danielis, & ſimilium: & anima huiuſmodi occurrens Deo, ſtatim eſt in ſpiritu, ideſt, in exceſſu. Dico, occurrens Deo: nec enim ſufficit animam puram eſſe, niſi etiam Deo intendat; exemplo ſit Samuel qui licet animo, & corpore purus eſſet, dicit tamen de illo Scriptura: Porro Samuel necdum ſciebat Dominum, neque reuelatus fuerat ei ſermo Domini. Docuit igitur ipſum Heli Sacerdos occurrere Domino vocanti, & dicere: loquere Domine quia audit ſeruus tuus. Deum verò audire non poteſt quiſquis aliud audit quod non eſt Deus. Neque dicere poteſt Deo: Audit ſeruus tuus, quiſquis ſeruus eſt peccati. Proinde & Daniel pronus ad ecſtaſim, quia non ſolum animo & corpore mundo erat, ſed inſuper vir deſideriorum, nempe diuinorum. Hunc exceſſum, ſolitudinem alibi vocat Scriptura. ἔκτασιν, ideſt, extenſionem Areopagita. τὸ μυστήριον τοῦτο μέγα ἐστὶ, φησὶν, ἐγὼ δὲ λέγω εἰς Χριστὸν, καὶ εἰς τὴν ἄμωμον ψυχήν. Myſterium enim hoc magnum eſt, vt ait Apoſtolus, Ego vero dico inter Chriſtũ & animã immaculatã. Ψυχῆς ἁγνῆς τόπον οἰκειότερον ἐπὶ τῆς γῆς οὐκ ἔχει θεός. Animo caſto & puro locum conuenientiorem in terris non habet Deus. rectè Demophilus, ſed diuinè Macarius ait, huiuſmodi animam reuerſam eſſe ad ſuam cognationem, nullam enim talem eſſe familiaritatem atque præſentiam qualis eſt animæ erga Deum, & Dei erga animam. ὅτι γὰρ δὴ ἀνῆλθεν εἰς τὴν συγγένειαν αὐτῆς, οὐδεμία γὰρ ἄλλη τις οἰκείωσίς ἐστι, καὶ ὠφέλεια τοιαύτη ὡς μὴ ψυχῆς πρὸς θεὸν καὶ θεοῦ πρὸς αὐτήν. Hanc familiaritatem Sapientia vocat ſuas delitias, Delitiæ meæ, inquit, eſſe cum filijs hominum. Virgo itaque ſanctiſſima Deo plena, & μεθύουσα μέθην νηφάλιον. ideſt ebria ſobria ebrietate, rapiebatur ſurſum, ideſt ſecundum diuinum Euangeliſtam, abijt in Montana, & ſimul atque vidit ſalutatione ſua Cognatam Elizabeth repleri ſpiritu ſancto & prophetare, & ſe Matrem Domini reſalutari, attonita, & externata miraculo tantæ diuinæ συγκαταβάσεως, ideſt demiſſionis non vltra ſe tenuit, ſed ſacro furore correpta prorupit & ipſa in diuinum canticum. Magnificat, in-

Vid. in Eſai. c. Apocal. cap 4

Vide de Myſt. Theol. c. 1. §. 2. Epheſ 5.

S. Macar. Homil 38.

In ſentẽt. poſt Hierodem in carm. Pitag.

vid. homil. 45

S. Cyrill. Hieroſol. catecheſ. 17.

quit, anima mea Dominum. quaſi dicat, nihil poteſt ò Domine addi magnificentiæ tuæ ab vlla creatura, quod ſi poſſet, vellem hanc animam totam tibi reponere, atque adeo impendere pro tanta dignatione; hoc quia non datur, magnificabo te animo & voce; ego itaque prima mortalium miſeratione tua diſpenſante, magni conſilij conſcia ego æternæ ſalutis generi humano proxenetria, & primogenita fidelium è ſemine Abrahæ, præcino Eccleſiæ tuæ nouæ, nouum hoc canticum, quo tuam miſericordiam, potentiam, iuſtitiam, & ſapientiam, & ſimul humilitatem meam & gratitudinem, decantabunt tibi quotidie in ſæcula omnes generationes, ideſt ſancta tua Catholica Apoſtolica Romana Eccleſia toto orbe diffuſa.

Vid not. infra ad Magnificat

Alter furor vocatur Myſterium, Spiritus ſanctus, inquit, Gabriel, ſuperueniet in te, &c. Cecinerat ante de te Dauid in ſpiritu ſiue præſcientia. Sanctificauit tabernaculum ſuum Altiſſimus, & poſtea prædictus paranymphus: Aue gratia plena Dominus tecum, quare ſi Dominus ſemper tecum, qui potuit fieri quin euaderes tota Roſa Myſtica! Tertius furor eſt Vaticinium. Ecce ait, ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Ita eſt ò Regina Prophetarum, quocumque enim peruaſit & peruadet Euangelica tuba dicimus, dicemuſque tibi poſt cæleſtem paranymphum; Aue gratia plena, & poſt Sanctam Eliſabeth, Beata quæ credidiſti. & poſt mulierẽ illã Euãgelicam, quæ typũ Eccleſiæ noſtræ prætulit, Beatus venter qui portauit, & vbera quæ lactauerunt Chiſtum Dominum. Erubeſcat Iudæus infælix, anathema Photino, Apollinari, Neſtorio, anathema omnibus noſtri ſæculi Borboritis.

Maria Virgo Prophetiſſa. Vid. D. Baſil. c 8. Eſai. & S Gregor. Thau mat. orat. 2. in Annun.iat.

Quartus furor omniũ præſtantiſſimus eſt Amor, ſiue amatorius affectus: Spiritus meus, inquit, in Deo ſalulari meo. Tranſcendiſti amando ò Virgo omnia Seraphim, fuit enim tibi familiarius ipſum pulchrum & ſolum amabile: quod ſi cui mirum forte videbitur, ſic mecum colligat: Tres inuenimus, inquit Athanaſius, ſubſtantias ab omnibus incomprehenſibiles, quas nemo, nec vnquam vidit, neque videre ſupra terram poterit ſicut ſunt, videlicet Dei & Angelorum, & animarum. Et ſanè Daniel Propheta, vir deſideriorum vita puriſſimus ad præſentiam Gabrielis Archangeli adeo fuit conſternatus, & vſque eo in faciem proſtratus, donec ſeipſum coactus Angelus in ſimilitudinem filij hominis conformaſſet, quo facto demum auſus fuit loqui: atqui puriſſima Virgo aſpectum Angelicum (eiuſdem videlicet Gabrielis) ſicut plures ex Prophetis non reformidauit: Καθαρὸν ὑπάρχουσα, καὶ ἀκή-

Vid Marſil. Ficin. Epiſt. lib 6.

Quæſt. 27 ad Antioch.

Daniel. cap 10

S. Cyrill. Hieroſol. catheches. 9.

ρατον

ρῖον, καὶ ἀμόλυντον ἄγαλμα αὕτη τὴν ἀγγελικὴν ὄψιν οὐκ ἐδειλίασεν, ὡς οἱ πλείονες τῶν προφητῶν. Sola enim Sancta Deipara Virgo nudam essentiam Gabrielis Archangeli, vt est, contemplata est. μόνη γὰρ ἡ ἁγία θεοτόκος γυμνὴν οὐσίαν ὡς ἐστὶ τοῦ ἀρχαγγέλου Γαβριὴλ ἐθεάσατο. Quod ipsum etiam innuit satis Textus Euangelicus, non enim narrat turbatam fuisse Virginem propter ingressum Angeli, sed propter sermonem: Quę cum audiuisset, inquit, turbata est in sermone, idest, propter sermonem eius, cogitabat enim qualis esset ista salutatio. Textus Græcus. ἡ δὲ ἰδοῦσα, quæ cum vidisset: hæc est visio Angelica, de qua Athanasius. διεταράχθη ἐπὶ τῷ λόγῳ αὐτοῦ turbata est propter sermonem eius. Si potuit Virgo inspicere naturam Angelicam, potuit etiam Diuinam, οὐ καθὼς ἐστιν ὁ θεός, non sicut Deus est, soli enim, vt est, Deum vident Filius & Spiritus sanctus, sed quemadmodum de Angelis ait S. Cyrillus Hierosol. quatenus ipsi capere possunt, idque familiarius potuit Virgo, quanto Mater Regis familiarior est Ministris: sunt enim Angeli omnes administratorij Spiritus, etiam ipse Michael princeps magnus, Daniel. cap. 12.

S. Greg. Thaumat. Orat. 2. in Annunt.

S Athanas. quæst. 28. ibid.

Vid. Thaumat. d. loco.

Cathechef. 6.

Transcendisti itaque amando ô Virgo omnes Angelos superasti amando omnes Prophetas, vidisti enim & vsurpasti oculis quod ipsi desiderabant Desiderabile. Vicisti amore omnes Apostolos, & ipsum ardentissimum primicerium Apostolorum: huius enim amor interruptus est trina negatione, cæterorum obscuratus est fuga. Transiuisti amando omnes Martyres, transiuisti patiendo: cum enim corporaliter esses diuidenda à tuo dilecto, tanti doloris gladius animam tuam pertransiuit, vt verè, & meritò te inuocet Ecclesia, Regina Martyrum. Non me teneo quin Virgini Virginem adiungam, quæ nostro sæculo mirificè vitam illam diuinam, & Poesim coniunxit: quodam enim die post visionem, vnionemque extaticam, breui, & neruoso carmine vitam suam, & Musicam complexa canebat:

Vide Vitam S. Teresæ.

Viuo sin viuir en mi,
y tan alta vida espero,
que muero porque no muero.

Viuo ego, sed sine me, vitam quia persequor, ob quam
velle mori, cogit me sine fine mori.

Ζῶ μὲν ἐγὼ πλὴν χωρὶς ἐμοῦ, ζωῆς γὰρ ἐφίζω
ἧς τὸ πόθῳ θανατᾶν μυριάκις θανατοῖ.

Hæc

Hæc est prima Poetica, quam auctor noster toto opere exprimit, & ipso primo lemmate commendat, in verbis: *ornata pijs & probis documentis*; quod ipsum esse maxime proprium huius Poesis docet Proclus: παλαιῶν ἔργα κοσμεῖν καὶ διὰ τούτων τοὺς ἐπιγιγνομένους παιδεύειν, maiorum virtutes celebrare, & per illas posteros instruere. ἔστιν ἄρα ἡ τοιαύτη ποίησις παντὸς μᾶλλον παιδευτικὴ τῶν ἀκουόντων ὅταν ἔνθεος ᾖ, ὅταν τὸ θεῖον αὐτῆς τοῦτο κατάδηλον γίγνηται τοῖς ἀκούουσιν. Tum maximè Poesis afficit & docet auditorem, si diuina sit & appareat auditori illam esse diuinam. πολλοῦ ἄρα δεῖ ποιητικὴν ταύτην τὴν ἔνθεον τῆς παιδευτικῆς δυνάμεως ἀποστερεῖν. Minime itaque rerum omnium existimandum est Poesim hanc destitui probis ad virtutem documentis & exemplis.

Verum sciendum est non cuiuis homini contingere hanc poesim: definit enim illam Plato, occupationem quandam esse à Musis, & furorem, qui desuper illapsus in teneram animam, & nullius ante tritam solo, exuscitat eam, & percit per cantilenam aliamque poesim ad genus hominum instruendum; illud ἁπαλὴν καὶ ἄβατον ψυχὴν, non visum fuit post Ficinum exponere: lenem, & insuperabilem animam, sed animam mollem bene præparatam, non conculcatam, id est, non infessam diuersis affectibus, & opinationibus, nam & ipsum etymon ἄβατος, sonat inaccessam, vel inaccessibilem, at hic potius non conculcatam; ita exponit pluribus Proclus, cum quo facit etiam Seminator ille Euangelicus, qui semen suum diuinum siquidem fructum sit facturum à præmollito excipi & foueri vult sulco idest, anima. Furorem diuinum quem requirit Plato ad hanc Poesim exprimit eleganter Poeta noster hac Elegia prima *Iam nouus*, inquit *ex imo cordis mihi prosilit hymnus, &c.* illud, *ex imo cordis* τὴν θέωσιν, τὸ *prosilit* τὴν αὐτοματίαν designat.

Fallor an ex animis, &c imitatur ferè verbatim Synesium à se alibi laudatum, & ipsum πλατωνικώτατον in diuinis hymnis.

ἴδε μοι βοῶσι νευραὶ
ἀκέλαδοι, καί τις ὀμφὴ
θεία τ' ἀμφί με πέταται
τί ποτ' ἄρα τέξεταί μοι
μέλος ἁ θέσκελος ὠδίς;

En mihi sonant nerui
Iniussa, & quidam afflatus
Vndique me circumuolat.
Quid igitur tandem pariet mihi
Carminis diuinus partus?

& alibi ἤδη φέρομαι	Iam feror
ἐπὶ βαλβῖδας	Ad carceres
ἱερῶν ἐπέων	Sacrorum carminum.
ἤδη καναχεῖ	Iam ſtrepit
ὀμφὰ περὶ νοῦν	Oraculum in mente
μάκαρ ἵλαθί μοι.	O Beate eſto propitius mihi,&c.

Quem *nouum hymnum* vocat Pontifex. Syneſius ὀμφὴν ideſt diuinam vocē ſeu oraculum, Flaccus mētem nouam vocat. *mihi proſilit hymnus*, Syneſio eſt, βοῶσί μυνδεραὶ ἀκέλευστα ecce fides mihi ſponte ſonant. Hæc eſt illa θέσκελος ὠδὶς ideſt diuina parturitio, quam Romanus lyricen, amabilē inſaniam vocat; amabilem inquam, αὕτη γὰρ μανία ἐστὶ σωφροσύνης κρείττων inſania iſta exuperat omnem ſapientiam, interpretor enim σωφροσύνην vel Ariſto telicè, quaſi σώζουσαν τὴν φρόνησιν, vel Socraticè σωτηρίαν τῆς φρονήσεως; imò conuenientius huic loco. ἡ ἀντιδιαστελλομένη τῇ μανίᾳ propriè dicitur quæ furori opponitur, vt hic. Hæc eſt inſana ſapientia Areopagitæ. hic eſt calculus, ſiue pruna quæ labris Eſaiæ admota ipſum illicò Prophetam reddidit; hanc prunam ſiue calculum, Pindarus ἀκόναν λιγυρὰν ideſt cotem acutam vocat quæ mentem acuit, vt ſolet cos ferrum acuere. ὡσπερεὶ τῆς ἀκόνης τῆς ὀξύνειν δυναμένης τὸ παραθηγόμενον, inquit interpres. hic eſt ignis exęſtuans in corde & oſſibus Ieremiæ, qui etiam renitenti expreſſit Prophetiam. μάκαρ ἵλαθί μοι: apud Syneſium inuocatio numinis eſt Socratica poſt ſenſum diuini afflatus.. ἄγετε δὴ ὦ μοῦσαι ξύμμοι λάβεσθε τοῦ μύθου, inquit Socrates Platonicus poſt Homerum ἔσπετε νῦν μοι μοῦσαι. & ἄνδρα μοι ἔννεπε μοῦσα. Maro Platonicus: Vos ò Calliope & Muſa mihi cauſas memora: Poeta & Propheta Regius: Domine labia mea aperies &c. quaſi dicat, quomodò poſſim laudem tuam decantare, niſi tu mihi inſpires? poſt quem Poeta noſter & Pontifex in hymno primo: *Labra mihi reſera vocemque reſolue canenti*. & hic: *Dirige iam dociles digitos Ieſſia, &c.* κοῦφον γὰρ χρῆμα ποιητής ἐστι καὶ πτηνὸν καὶ ἱερὸν καὶ οὐ πρότερον οἷός τε ποιεῖν πρὶν ἂν ἔνθεός τε γένηται καὶ ἔκφρων Poeta res eſt leuis, volatilis, & ſacra, & non ante quit poetari, quam à Deo agatur externeturque: hæc eſt φοιβοληψία ſine quo furore quiſquis Muſarum Poeticas ad fores accedit, inanis ipſe eſt & eius Poeſis. Ita cenſet Interpres vetus ad illud Iuuenalis. Thyrſumque poteſt contingere ſana paupertas. Inſanire, inquit, pauper non poteſt aut moueri ad ſcribendum: quia familiaribus rebus conſulere cogitur. Dicunt nam niſi inſanum Poetam eſſe non poſſe. Ego verò hoc non ſolum verum eſſe cenſeo, ſed etiam dudū ſentio. Hic furor vnde ſit, & per quot gradus deſcēdat, edocet

Analect 2. Ioſeph Ner. cap 34.

Plato in Ione: dicit etiam aliquid Aristoteles in De Poetica; εὐφυοῦς, inquit, ἡ ποιητική ἐστιν, ἢ μανικοῦ: τούτων γὰρ οἱ μὲν εὔπλαστοι, οἱ δὲ ἐκστατικοί εἰσι. Poetica est hominis ingeniosi, vel furore perciti, illi enim facilè finguntur, & informantur: hi mente facilè commouentur, idest, sunt procliues ad ἔκστασιν, siue ἀναγωγήν. vt vocat diuinus Areopagita; idem requirit cum Aristotele Flaccus noster: Ingenium misera, &c. Excludit sanos Helicone Poetas, &c. Tandem vt innuat Pontifex se primario diuinam hãc Poesim commendare, cui maxime propriam esse volunt Platonici παιδευτικὴν δύναμιν], idest magistralem seu doctrinalem virtutem, extrema hac prima Elegia cõuocat iuuentutem Italam & hortatur ad Dauidicos Psalmos secum decãtandos. *Itala tu mecum pubes, &c.* tantum non vsurpans ipsa Poetæ Regij verba: Venite filij audite me, timorem Domini docebo vos. Et hactenus de prima & absolutissima Poetica, quæ est κρείττων ἐπιστήμης, excellentior omni scientia.

Tangit Meronus in Aula cap. 6.

Alterum genus Poeticæ est ἐπιστημονικόν, idest ad scientias pertinens, correspondens inferiori, & ignobiliori vitæ, siue habitui animæ, quæ anima à diuina illa vita, siue vnione descendens seipsam habitat & respicit. κατ' αὐτὴν δή που τὴν ἐπιστήμονα, καὶ νοερὰν ἕξιν λαχοῦσα τὴν ὑπόστασιν, καὶ τῶν καλῶν, καὶ ἀγαθῶν ἔργων τε καὶ λόγων ὑπάρχουσα φιλοθεάμων, &c. νουθεσίας καὶ συμβουλῶν ἀρίστων πλήρης. cui proprium est circa scientias & intellectualem habitum versari, virtutemq. operum, & sermonum vtilium admirari, &c. plena optimis admonitionibus, & exemplis, huiusmodi sermonum, admonitionumque scatent V R B A N I Poemata.

Tertium Poeseos genus est μιμητικόν imitatione constans correspondens infimæ animæ vitæ, qua respicit corpus, & materiã; hanc Poesim Proclus diuidit in εἰκαστικὴν, idest coniecturalem, & Phantasticam. Illa est, quæ vere imitatur, & exprimit res, vt sunt: Phantastica verò res imitans, & exprimens, non vt sunt, sed vt vulgo videntur esse. σκιογραφία τις οὖσα τῶν ὄντων ἀλλ' οὐ γνῶσις ἀκριβής, τέλος τε προστησαμένη τὴν τῶν ἀκουόντων ψυχαγωγίαν. Adumbratio quædam rerum existens, siue vmbratica delineatio, non vera & exacta cognitio, finem sibi proponens solum delectare: Horatius diuidit Poetas in prodesse, aut delectare volentes, aut simul vtrumque coniungentes; & hos verè ait omne tulisse punctum. Prosunt, & delectant tres illi, quos prænominauimus; delectant tantum, vel potius delectare volunt Phantastici, mali imitatores. Aristoteles uidetur tantum agnouisse hanc ultimã Poesim imitatricem, quam fęcem, siue subsedimentum Homericæ poeseos uocat Proclus, nam in sua Poetica dicit: Omnem

Poe-

Poesim originem traxisse ab imitando; & subinde diuidens illam, secundum proprios mores Poetantium dicit à grauioribus siue generosioribus Poetis ortam esse Tragœdiam, à vilioribus Comœdiam, quæ ἀπηχήματα, idest, extremam resonantiam. seu vestigium Homericę Poeseos nominat Proclus: hæc est ratio cur in hoc tractatu non sequamur Aristotelem: caruit enim diuina illa poesi, quam præcipuè coluit Homerus, & Plato, & primariò commendat noster Pontifex; & hæc fortè est causa, cur antiquitas illos diuinos vocat. Aristotelem vero δαιμόνιον. idest, mirabilem quidem, sed tamen hominem, qui multa te doceat præter pietatem. Vocat igitur ipsius Philosophiam χαλκοτεχνίαν, Theologus Nazianzenus; vt videri debeat Aristoteles respectu Platonis quoad tractatum huius primę Poeseos, & rerum diuinarum, sophista potius quam philosophus: sed quia non est nostrum inter eos tantas componere lites, qui volet, eo superadeat ipsum Theologum, & Eusebium præparat. 15, sed hoc loco, quia Homerum, & Platonem coniunximus, non visum fuit omittere locum insignem de virorum illorum conformitatẽ (vt interim dissimulem, quæ scribit Proclus, ne scrinia illius compilare videar) ex Olympiodoro M. S. in Bibliothecis Vaticana, & Barberina: ὁ Πλάτων μέλλων τελευτᾷν ἐνύπνιον εἶδεν, &c. Plato moriturus somniauit se in Cygnum mutatum, ab vnã arbore in aliam incessanter transuolare, & eo modo plurimum negotij aucupibus facessere, quod somnium Simmias Socraticus exposuit fore, vt difficillimè post mortem suam ab interpretibus intelligeretur: interpretes enim similes esse aucupibus, dum sententias veterum peruestigant; incomprehensibilis est autem Plato, quia & de naturalibus, & moralibus, & Theologicis, & omnino de omnibus, audias ipsum philosophantem; quod, & Homerus facit: duæ enim̃ istæ animæ dicuntur extitisse παναρμόνιοι, idest, capaces omnium scientiarum, ideoque audias vtrumque de omni scibili argumentantem. hæc Olympiodorus.

Corollarium. Memoriæ iuuandæ non inutile fuerit quadruplicem iam dictam Poesim per quatuor Cantores Homericos repræsentare: Demodocus itaque diuinus cantor, quem Musa, Iouis filia, vel Apollo, docuerat, primam & nobilissimam poesim significet; nam videtur Homerus, illum, quasi sui Vicarium statuere, dum ait, illum oculis quidem fuisse orbatum, sed diuina Musicã donatum. Phemius verò Ithacensis Musicus propter rerũ diuinarum, & humanarum scientiam præferat secundũ

genus poeseos ἐπιστημονικόν. Tertius vero Clytemnestræ ab Agamemnone appositus Musicus, imitator bonus, vt videtur, & recta opinione vtens μιμητικός τις ὡς ἔοικεν ὀρθῇ δόξῃ χρώμενος, qui Clytemnestram dum vixit, suo carmine ab omni probro compescuit, exhibeat tertium genus poeseos ὀρθοδοξαστικόν. Quartus Musicus est Thamyras, siue Thamyris, cui iratæ Musæ dicuntur musicam, & oculos eripuisse, Phantasticus, & malus imitator, neque opinionem rectam, neque scientiam habens in imitando, & cantans ad delectandum tantum: sub hoc quarto genere continentur Poetæ omnes Sotadici, quos detestatur, & damnat Author noster:

Proh scelus hanc turpi, &c. Ah pereat castam quisquis, &c.

Hic obiter notanda, & distinguenda cæcitas Demodoci, qui Homerum repræsentat, & cæcitas Thamyræ; nam vtrumque dicuntur Musæ excęcasse; sed Demodoco pro ereptis oculis Musicam reposuerunt; Thamyræ verò vnà cum oculis Musicam ademerunt: Demodocus, siue Homerus, quia auersis oculis ab omni visibili mentis aciem intenderet in inuisibilem, & verā pulchritudinē, fingitur fuisse cæcus: qui enim Homerum reuera cæcū fuisse asserunt, videtur mihi insanire: vidit enim quantū vllus vnquam mortalium τυφλὸν δ' ὅσοι τοῦτον ἀπέφηναν αὐτοί μοι δοκοῦσι τὴν διάνοιαν πεπηρῶσθαι, τοσαῦτα γὰρ κατεῖδεν ὅσα οὐδεὶς ἄνθρωπος πώποτε. Thamyras fuit cæcus mente, qua cæcitate laborabant

Ioann c. 9. Esai. cap 6. Pharisæi sed vtramque hanc cæcitatem corporalem, & mentalem aliquanto apertius describit Lucas, egregius vtriusque medicus in Euangelio suo cap. vlt. Oculi autem illorum, inquit, tenebantur ne eum agnoscerent. Hæc est cæcitas corporalis, quam detersit Christus in fractione panis. Aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum: & ipse euanuit ex oculis eorum;

Iliad. 5. impedimentū hoc oculorū Poesis Græca ἀχλύν, siue caliginē.

Æneid. 2. Interpres ἀορασίαν, siue cęcitatem: Synesius in hymnis νέφος ὑλαῖον idest, nubem corpoream. Poeta Latinus noster, nubem vocat. Hanc nubem aufert Venus, idest Deus ἀπεκάλυψε δὲ ὁ Θεὸς τοὺς

Num. cap. 22. ὀφθαλμοὺς Βαλαάμ καὶ ἑώρα, &c. protinus aperuit Dominus oculos Balaam, & vidit, &c.

Adspice namque omnem, quæ nunc obducta tuenti
Mortales hebetat visus tibi, & humida circum
Caligat, nubem eripiam.

Æneid. 2. Potuit itaque Æneas Venerem adspicere in habitu Spartanæ venatricis, quemadmodum Discipuli duo, Christum in habitu peregrini. Postquam vero Venus

auertens rosea ceruice refulsit, &c.

Et vera inceſſu patuit Dea: non amplius potuit videri: ſequitur enim:

ille vbi matrem, ideſt, Deam
Agnouit, tali fugientem eſt voce ſecutus.

Fugientem, ideſt, diſparentem, ſeu euaneſcentem. ſic Euangelium: Cognouerunt, inquit, eum, & ipſe euanuit, &c. Per quæ innuit Enangelium, & Poeſis, Deum αὐτοπρόσωπον, ſiue qualis eſt non videri corporalibus oculis ſed μεταβαλλόμενον εἰς ἀνδρὸς τὴν ἰδέαν, ideſt, aſſimilatum homini. Cæcitatem mentis ibidem deſcribit Euangeliſta: Tunc, inquit, aperuit illis ſenſum, vt intelligerent Scripturas: aperuit, ideſt, illuminauit. Hæ ſunt tenebræ, quas deprecatur Pſalmiſta: Domine, inquit, illumina tenebras meas. & alibi: Illumina oculos meos, ne vmquam obdormiam, &c. Cæterùm diſſonantiam Scriptorum circa cæcitatem Homeri, quam ipſemet videtur non vno loco innuere, videor ita mihi poſſe reconciliare: Dico itaque Homerum non cęcũ natum fuiſſe; nam hoc qui putat etiam iuxta Velleium, orbus eſt omnibus ſenſibus, ſed morbo oculos amiſiſſe, cum traijceret ex Tyrrhenia in Cephaleniam, & Ithacam, μαρτυρεῖ δὲ καὶ ἐκ Τυῤῥηνίας Ὅμηρος παραβαλεῖν εἰς Κεφαλληνίαν, καὶ Ἰθάκην, ὅτε τοὺς ὀφθαλμοὺς λέγεται διαφθαρῆναι νοσήσας. Heraclid. περὶ πολιτειῶν. titulo Κεφαλληνίων. *Quærentem viridi, &c.* Poeta noſter parturiens diuinum carmen, aduocat ſibi per proſopopæam, ipſam Poeſim, & inducit quiritantem ſe tam indignis modis exceptam fuiſſe à triuialibus illis Pſeudopoetis, qui vbi vix didicerunt verſum componere, nullam ex Muſis inuocant, niſi Eratonem, eamquè tractant non vti Deam, & virginem, ſed tamquam meretricem, & cæleſtem artem proſtituunt venereis, & inceſtis verſibus. Eodẽ modo, & nomine Pherecrates Comicus, olim Muſicam muliebri cultu, & corpore fœde lacerato, vicemque ſuam apud Iuſtitiã grauiter dolentem, in ſcenam produxerat, vt chromaticos modulos, ac molles, fractaſque vocum flexiones perſtringeret. Imitatus etiam videtur Auctor noſter hoc tropo Boethium, à ſe alibi laudatum inſignem Poetam, Philoſophum, & Martyrem, qui acturus de Conſolatione Philoſophiæ, eam ſecum philoſophãtem inducit. Eadem figura Lucianus lepidè exagitat pſeudophiloſophos, qui ſola barba, & pallio philoſophabantur, dum per ipſam Philoſophiam ipſos arguit, & condemnat. Apud Heſiodum Dice, ſiue Iuſtitia, & ipſa Iouis filia, ſi quando à violentis hominibus diuexetur, fingitur apud Iouem patrem de vi lamentari. Et nouiſſimè Daniel Heinſius (vt enim Authores antiquos legamus cum reuerentia, ita ſine inuidia legendi recentes)

Vide Plutar. de Muſic. & Menorum d. cap. 6.

 centes)

centes) eleganti Græco lemmate, & epigrammate: Εἰς τὸ ὅτι ἡ φιλοσοφία τὸ πρῶτον ὑπὸ Μουσικῆς, &c. inducit Philoſophiam clamoribus, & contentionibus Sophiſtarum cruciatam deſide-deſiderare primos ſuos parentes, & nutritios Poetas Muſæum, Linum, Orphea, Homerum, Heſiodum, & poſt illos Parmenidem, Empedoclem, & Meliſſum, ipſorumque curam vti maxime ſibi conuenientem expetere, quod idem Heinſius probat docta Elegia. *Qui putat æternos tantum oblectare Poetas, &c.* ac præcipue Homerum & Heſiodum primos ſapientiæ fuiſſe auctores; Facit itaque cum Pontifice noſtro Heinſius, & fere idem dicit; nam ait, philoſophandum eſſe poeticè. Noſter vero poetandum eſſe philoſophicè. *Priſca nouem Muſas, &c.* Platonici per Apollinem, mentem mundi; & per Muſas, ſphærarum mundi, animas intelligunt; hæ nouem animæ, nouem Muſæ vocantur, quia dum cælos harmonicè mouent Muſicam, pariunt Melodiam, quæ in nouem diſtributa ſonos, octo, ſcilicet ſphærarum tonos, & vnum omnium concentum. nouem Sirenes Deo canentes producit; vide Ficin. in argum. Ionis Platonici, vbi ait, Calliope Muſa vox eſt ex omnibus reſultans ſphærarũ vocibus; præſignauit hoc doctiſſimus Maro, dum ſub nomine Calliopes comprehendit, & inuocat omnes Muſas. Vos ò Calliope precor aſpirate canenti. Alibi: Nunc age qui reges Erato. pro, ò Muſæ: nam alibi, Quis Deus ò Muſæ, &, Pandite nunc Helicona Deæ, &c. imitatur Homerum, & innuit cæleſtem illam Muſicam indiuiſibilem, & inceſſabilem, quam etiam alibi aſtruit, vbi Poetam Cygnum laudans, canit: Linquentem terras, & ſidera voce ſequentem, ideſt, imitantem: ſed enim quia audio cæleſtem hanc Harmoniam explodi à Peripateticis, viſum eſt non fore alienum ab hoc tractatu me poſt Illuſtriſſimum, & doctiſſimũ Hadrianorum Ducem Andream Matthæum Aquiuiuiũ nonnihil diffundere, & probare cæleſtium orbium diuinum hoc melos, non ſolis Pythagoręis exauditum fuiſſe. Deus itaque non ſolum natura Muſicus eſt, imo μυσυργὸς, ideſt, author omnis harmoniæ, quem vulgo Componiſtam vocant, quo ſuper vide Triſmegiſtum ſublime volantem, & canentem, ſed etiam harmonicè cuncta compoſuit, & harmonicam vniuerſi conſpirationem conſeruat, ſecundum Theologum Areopagitam, Mundus totus eſt harmonia. (Vide Meron. in Aula cap 6.)

Aſſerit hic Samius poſt docta ſilentia luſtri
Pythagoras, ſolidum princeps, quod Muſica mundum
Temperet, & certis concentum reddat ab aſtris,

Signa-

Signaque Zodiacos quæ circulus axe supremo
Terna quater retinet proprio non currere motu
Æquis inter se spatijs tamen esse locata
Fixaque signifero pariter quoque cernua ferri.

Ecce Musicam ab orbe signifero, quam post Pythagoram asserit Sidonius, si non ex sono, saltem ex positu & ordine; prosequitur idem Musicam Planetarum.

Præcipuumque etiam septem vaga sidera cantum
Hinc dare perfectus numerus quod vterque habeatur,
Hoc numero affirmans hoc ordine cuncta rotari.

Hæ sunt septem illæ stellę quas insimul harmoniam vocat Pymander, quas totidem esse Musas docta credebat antiquitas, quæ interuallis imparibus, sed proportione tamen rata interstinctis sonum edant admirabilem. Sed quare hæ Musæ non feriunt aures nostras? vt respondeam Epicureis reclamantibus, dico quemadmodum sapientia non videtur nisi ab ijs qui diligunt eam, ita hanc harmoniã non exaudiri nisi ab ijs, qui habent aures eam audiendi: omnes enim aures habemus, sed pauci admodum habemus aures audiendi diuina, quales desiderabat vitæ Magister in Euangelio; qui habet aures, inquit, audiendi audiat, quod alibi vocat, capere verbum. animalis homo nõ percipit quę sunt spiritus: stultitia enim est illi. inhabiles sunt huic harmoniæ percipiendæ omnes voluptuarij, facti ipsi sicut equus & mulus quibus non est intellectus, animæ cælestes capiunt tantum & tam dulcem sonum, qualis erat Scipionis, qualis erat Iosephi Patriarchæ, Danielis & similium; huiusmodi puris & leuibus animis in somnis obuersãtur sæpissimæ diuinationes, prophetiæ, & musica cælestis. Vid. Ælian. lib. 3. Var. histor. 10. & Ficin. epistolar. lib. 1. de diuinatione & diuinitate animæ. Tenuis autem admodum & exilis sonus cælestis illius musicæ ad nos pertingit, quæ voce sua prouocat & admonet animas, quarum aures oblitæ & stipatæ sunt multis obturamentis & affectionibus carnalibus, non cereis, vt rectè restituit scopulosum hunc de Sirenum cantu Plutarchi locum Lucas Holstenius Eminentissimi Cardinalis Barberini Bibliothecarius & bibliotheca ἔμψυχος obturamenta illa auriũ internarũ Trismegistus vocat ἀγνωσίας ὕφασμα, σκοτεινὸν περίβολον .i. ignorantiæ velum, tenebrosum viuarium .i. corpus nostrum Discipulus dilectus vocat tenebras. Cebes, ignorantiã. Sapiens, fascinationem intellectus. Plato, speciosam laruam; alius, ῥεῦμα πολύ,

1. Cor. 2.

Vid. Cicer. d. somn. Scipion.

In not. ad sentẽt. Demophili.

vehe-

vehemens fluentum. Hæc omnia nominibus variantia vnum, & idem sunt, ideſt, concupiſcentia carnis, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ, quę tria quaſi ſonorum, & vorticoſum aliquod flumen pleroſque omnes mortales ita vel impetu ſuo rapiunt, vel fragore obtundunt; ſicut in illis, vbi Nilus ad illa quæ Catadupa nominãtur præcipitat ex altiſſimis montibus, ea gens, quæ illum locum accolit, propter magnitudinem ſonitus, ſenſu audiendi caret. Sed iam diſſimulatis Pythagoreis, & Platonicis, aduocemus huic Muſicæ teſtem irrefragabilem; is erit ſupremus omnium, & independens Muſurgus, qui inducitur ſeruum ſuum Iobum ſic interrogans in diuina Poeſi. Quis enarrabit cælorum rationem, & concentum cæli quis dormire faciet? vbi Gloſſa. S. in Biblijs Sixti V. Rom. καὶ ὄργανα οὐρανοῦ τίς κοσμήσει; reſcribe vna litera mutata, κοιμήσει. Organa cæli quis ſopiet? vel dormire faciet. vbi nota ſinceritatem vulgaris interpretis quem oportuit non ſolum fuiſſe doctiſſimum, ſed etiam diuinum; apage igitur vt obiter hoc addam omnes interpretes nouos: linquuntur enim duobus, antiquitate, & pietate; per illam non potuerunt uidiſſe, quæ ille viderat; & quia vt plurimum carent vera pietate, non poſſunt eſſe idonei rerum diuinarum interpretes ſecundum Ionem Platonicum, & Thaumaturgum τῆς γὰρ αὐτῆς δυνάμεως δεῖ προφητεύουσί τε καὶ ἀκροωμένοις προφητῶν. Oportet eandem virtutem habere Prophetam, & Prophetæ auditorem: non enim capiet Prophetam, qui non habuerit eundem ſpiritum, vide Thaumaturg. in laude Origenis.

Cic. de ſomn. Scip.

Aſſerta cæleſti hac Muſica, quam idem Iobus alibi vocat, carmina in nocte; alibi aſtra matutina, & iubilantes omnes filios Dei, deſcendit Sydonius noſter ab aſtris ad elemẽta, & probat inibi perfectum eſſe quadriuocem hymnum:

Harmoniam dicens etiam, quod quatuor iſtis
 Sic ſedeant elementa modis, &c.
  Hinc fieri vt terram leuior ſuperemicet vnda,
  Altior ijs quoque ſit qui purior eminet aer, &c.

Elementarem etiam hanc Muſicam, τὴν ἐν ἀλλήλοις τῶν στοιχείων ἁρμονίαν ἀσύγχυτον vocat Areopagita. Pythagorei hauſerunt ex Sacris litteris (Pythagoram enim, Homerum, & Platonem libros ſacros legiſſe, aut audiuiſſe aſſerunt Clemens Alexandrinus, & Gregor. Nazianz.) Sapientiæ vlt. In ſe enim elementa dum conuertuntur ſicut in organo qualitatis ſonus immutatur, & omnia ſuum ſonum cuſtodiunt δι᾽ ἑαυτῶν, γὰρ τὰ στοιχεῖα μεθαρμοζόμενα ὥσπερ ἐν ψαλτηρίῳ φθόγγοι τοῦ ῥυθμοῦ τὸ ὄνομα διαλλάσσουσι, πάντοτε μένοντα ἤχῳ. Mundus etiam minor, ideſt, homo, muſicè compoſitus

ſitus eſt totus: ſiue enim conſideres ipſum quoad animam ſimul & corpus, nihil aliud eſt homo, quam ὠστωμένον ὄργανον, organum, ſiue, vt vertit Holſtenius, Inſtrumentum oſſeum, vbi oſſa, corpus: organum vero animam ſignificat. Nam quemadmodum mutum eſt organum abſque ſpiritu, ita corpus noſtrũ mortuum abſque anima. ſin ſeparatim animam conſideres, inuenies eſſe tripartitam; prima pars eſt rationalis, alia excandeſcentia, vel irritabilis; tertia, & infima eſt appetitus, vel cupiditas. His tribus partibus tamquam totidem chordis diſſonantibus, cum videlicet ratio vel incenditur ab ira, vel mollitur voluptate, ſuboritur ægritudo animæ, inualentiaque, & fœditas, vt vocant Platonici: vt noſtri, peccatum. ſi corpus conſideres ſeiunctim, & illud harmonicum eſt, compoſitum ex quatuor elementis, veluti totidem ſonis, quorum diſcordia morbum: defectus vero mortem, ſiue, vt Chriſtus vocat, ſomnum: vt Maro, ſilentium adfert nobili huic citharæ, ideſt corpori, vt interpretatur Athanaſius, & Cyrillus iſtud Pſalmi, Confitebor tibi in cythara, &c. Sed vt præcidam, potius quam detexam Platonicã, ſiue Pythagoricam hanc Muſicam quidquid in ſupernis, ſiue terrenis rebus conuenienter ſecundum auctoris ſui diſpoſitionem geritur, ab hac diſciplina non refertur exceptum.

Et ſic quidem Pythagorici, & Platonici interpretabantur Muſas, ſublimiter illi quidem, & ſymbolicè more ſuo, vt omnia: ſed enim quia illa percipi non poſſunt, niſi puræ mentis oculis, & auribus, & pauci admodum ſint huiuſmodi mortalium, accidebat, vt paucorum etiam fieret illa doctrina: noſter itaque Vates, quaſi iam tum Apoſtolico Throno deſtinatus, & ea propter volens non paucis, ſed plurimis, atque adeo omnibus prodeſſe, tamquam omnium debitor vt omnes lucrifaceret, mediocritatem præfert in omnibus. Muſarum chorum locat non in aſtris, vt Pythagorici: nec humi vt vulgus, ſed in monte. Fabulas Poetarum non omnes admittit ſed ſelectas. Materiam Poetandi non quamlibet facit, ſed ſacram; & tandem ſeipſum iuuentuti proponit in exemplum & ita finit præludium. Vid. Caſſiod. de Muſica c. 2.

Difficultatem aſſequendæ Poeſeos, & raritatem Poetarum ſignificat Pontifex in his verbis: *In vertice montis, &c. Præruptus quid apex montis, &c. Per iuga difficilem, &c.* pauciſſimi ſanè mortales ſuperauerunt hunc montem, Maro noſter vnicum nominat Gallum:

> Aonas in montes, vt duxerit vna ſororum,
> Vtque viro Phœbi chorus aſſurrexerit omnis.

Requirit Maro virum doctum, & ductum a Deo, & inſuper

vita,& carmine dignum consortio Deorum; cui omnis chorus Musarum,ideſt,diuinarum , humanarumq. ſcientiarum aſſurgere non cunctetur. Amolitur itaque à ſe nomen Poetæ moratiſſimusnoſter Flaccus,& cedit illud viro , *cui mens ſit diuinior,oſq; magna ſonaturum*. ideſt,ingenio, & arte abſolutiſſimum; Perſius negat ſe in bicipiti ſomniaſſe Parnaſſo , vt Poeta prodiret : & meritò, melior eſt enim Philoſophus,quam Poeta, vel Satyricus. Iuuenalis vero melior ipſo Poeta , neque melior Satyricus (Satyrici enim nomen ſoli Horatio rectè tribuit Heſius) ait,ſe Vatem egregium,tantum mente ſentire , ſed digito , vel nomine nō poſſe mōſtrare, quale de Oratore ſuo dicit Tullius. Ego vero addo Poeticen difficiliorem eſſe Oratoria, quia Poeta poteſt etiam eſſe Orator,non contra. Nobilior eſt Poetice Hiſtoria. Φιλοσοφώτερον καὶ σπουδαιότερον ποίησις ἱστορίας ἐστίν. ex ratione ibidem aſcripta per Peripateticum.

De Poet. c 9.

Per præruptum itaq. Parnaſſi verticem innuit Pontifex dignitatem,raritatemq. diuinæ Poeſeos, διὰ, vt ait Theologus Nazianzenus in negotio nō valde diſſimili, τὴν ἀνάβασιν τῶν δεξιομένων καὶ τὴν χαμόθεν ἔπαρσιν . propter eorum aſcenſionem , atque à terra ſubuectionem , qui accepturi ſunt, & dignandi tam ſublimi dono:niſi enim Deus ad illos deſcēderit, & ipſi ærumnoſa virtute à terra aſcenderint,non poteſt fieri tam excellentis boni communicatio.Iamq. liceat mihi propter mentionē mōtis,ad Moyſis aſcenſum alludere & cur non liceat,cum faciat illum ducem Poematum ſuorum Vates noſter : *Sit mihi* , inquit, *dux Moſes , &c.* recte proponit ſibi virorū omnium mitiſſimum,& ſapientiſſimum : mitiſsimum, vt innuat Poetas debere eſſe ſanctos : ſapientiſſimum,quia non liceat mediocribus eſſe Poetis.Moyſes itaque non ſolus montem aſcendit,ſed ſolus nubem intrauit,& collocutus eſt Deo. Aſcendit & Aaron,ſed māſit extra nubem: aſcendit Nadab, Abiud, aut alij ex ſenioribus, ſed illi adhuc remotiores à nube;profanum vero vulgus & animalia bruta,inſra,& longe à monte, repreſentat Moyſes qui ſolus nubem intrauit,perfectū Poetam,reliqui iuxta gradus, mediocres poetas : vulgus vero,& animalia muta,Sotadicos,ſiue Feſcenninos,& ſcurriles omnes Poetas,quos pluribus hic abominatur, & arcet à Sacro hoc monte Pontifex ; Inter Hebræos itaque tunc temporis vnicus Poeta Moſes : inter Græcos vnicus Homerus nubem intrauit,pauci montem aſcenderunt, de quibus canit , & diſtinguit Romana lyra:

Columell. de Re Ruſt. in præfat.

Non ſi priores Mœonius tenet
Sedes Homerus , Pindaricæ latent

Ceæque,

Cœçque, & Alcęi minaces
Stesichorique graues Camenæ,
Nec si quid olim lusit Anacreon,&c.

Ecce tibi simili plane ordine,in nube Homerus. Pindarus, & alij in monte,sed extra nubem; infimi vero ad pedem montis Anacreon,& Sappho,cum impuris suis amoribus Inter nouissimi sæculi Poetas solum Musurum Cretensem aliquid vidisse in Poetica scribit Heinsius,idque rectè: natio enim illa simul atque deseruit prędictum à diuino Marone *Capitoli immobile saxum*, ideſt. Romanæ fidei,& Ecclesiæ petram, instabilis facta est,& non solum cum Vrbe Regia Imperatorem Imperium, & libertatem,sed insuper sapientiam,intellectum,scientiam, & Poeticam amiserunt, iustissima Dei vltione: sunt enim hæc omnia dona Sancti Spiritus,cuius ipsi à Patre,& Filio processionem negant. In Præfat. Pepli. 9. Æneid. Vid inf. de S. Petro. Vid Horat. Iustinian. in pręfat. Act. Cōcil. Florent.

Latinorum Poetarum Maro vnicus nubem intrauit, ęqualis in Æneide Homero, non suo, sed aliorum iudicio: in Georgicis vero Hesiodum longe pręcurrit,in Bucolicis Theocritum ęquiparauerat, nisi Grecę lingnę genio, & dulcedine vinceretur: trium verò characterum diuersitate, & ἀναγωγικῇ omnes superauit. Hęc pauca visum fuit de Poetices excellentia perstringere, vt desinant amodò vulgares illam contemnere, mediocres sperare, primi deserere. Sed quęrat fortasse aliquis, cur Auctor noster Moysen sibi potius, quam Pindarum, Theocritum, Horatium, Virgilium, vel alium quempiam, quos imitatus est, pręscribat? non sine augurio id factum est: Moysem enim, & Dauidem nominatim sibi in carmine duces proponit, quasi vaticinans se etiam olim illos in Christi Ecclesia repręsentaturum, quod ipsum iam feliciter facit annum decimum octauum. idque ne forte mirum cuipiam videatur, comperiet hoc eodem volumine Pontificem nostrum,Francisco fratris filio, non obscurè, purpuram prędiuinasse,tanta est cognatio Poeseos,& Vaticinij, vt ibidem probabitur. Pag. 173. 2. edit

Virginis hanc Daphnes fabula, &c.

In materia fabularum Auctor noster iterum secat viam mediam: neque enim omnes indistinctè admittit, neque omnes reijcit, imitans Doctorem Gentium, qui, vt ait Clemens Alexandrinus,etiam Grecorum prophetis aliquid veritatis tribuebat, neq. dum aliorum saluti adiumento esset, Poetarum versus ad disputandum adhibere verebatur Reijcit itaque,& damnat omnes illas fabulas, quas Flaccus noster vocat,

peccare docentes historias. & quæ tractant huiusmodi, quæ ne nominari quidem à Christianis volebat supradictus Apostolus, cuiusmodi sunt stupra, & furta Iouis, Martis & Veneris adulterium, &c. Reijcit etiam omnes illas fabulas quæ mera sũt mendacia: ipse, ***inania, & nugas***: Apostolus profana, & inaniloquia appellat. Clemens Alexandrinus illa αἰσχρολογίαν, turpiloquium: hæc φλύαρον ἀδολεσχίαν vocat. Platonici hæc omnia admittebant, καὶ τὴν ἄλλην ἀτοπίαν ἐν τοῖς μύθοις, & omnem similẽ absurditatem fabularum: Vide Sallustium philosophum in aureolo libello, quẽ debemus industriæ Leonis Allatij, ad quẽ qui volet serio Platonizare consulat, & excutiat notas Lucæ Holstenij ibidem. Longum esset citare SS. Patres, qui fabulas huiusmodi damnant; vno itaque erimus contenti, qui aptissimè ad Põtificis nostri verba, & mentẽ: κἂν Ἕλληνες δαιμόνων γάμους μυθολογῶσι καὶ ἔρωτας, δαιμονικὸν ἄρα καὶ τοῦτο τέχνημα. Natura inquit, carne destituta non potest corporibus commisceri, & si Græci dæmonum nuptias, & amores fabulentur, quod profecto demonum artificium est, qui amores eiusmodi sermonibus extollentes eius quoque affectus in se vim producunt, vt incontinentiæ flammam hominibus succendant, & ipsi contra naturam suam suffragium ferunt, vt miseros mortales amoris perturbatione dementent; quod Basilius dæmonibus attribuit, Theodoretus fictum ait ab ijs, qui libidinari, & lupari amant atque è suo figmento nequitiæ patrocinium quæritant, quod affirmat Nazianzenus canens:

Pedag. lib. 2. c. 6.

Vide S. Basil. seleu. cor. 6.

Ἑλλήνων τάδε παισὶν, ἐπεὶ παθέεσσιν ἐκεῖνοι
Ἄλκαρ ἐμητίσαντο, θεοὺς στήσασθαι ἀλιτροὺς
Κλέπτας, ἀνδρογύνους, μοιχοὺς, &c.

Græcis, inquit, illa linquamus, qui passionibus, siue peccatis suis patrocinium excogitauerunt, constituentes Deos peccatores, fures, effeminatos, mœchos, &c.

Eximios Helicon specioso cortice sensus, &c.

Proclus Philosophus: φύσει γάρ ἐστι σύμπασα αἰνιγματώδης καὶ οὐ τοῦ τυχόντος ἀνδρὸς γνωρίσαι. Poesis tota est natura obscura, & ęnigmatica, neque cuiuis homini contingit illam agnoscere: οὐ γὰρ ἐν μέσσοισι κεῖται δῶρα δυσμάχητα Μοισᾶν τὠπιτυχόντι φέρειν: non enim in medio exposita sunt Musarum dona difficillima, nec à quolibet auferuntur. Idem de lege diuina dicit Basilius Magnus ἐσφράγισται ὁ νόμος ἀσαφείᾳ: lex obsignata est obscuritate. Noster alibi obscuritatem illam vocat, *vim melle sub Aonio latentẽ*: alibi *rimam lucis igneam Pierijs ab antris inter vmbras emicantẽ*,

Clemens Ale. lib. 5. strom

hic

hic *ſpecioſum corticem*, & *concham*. Proclus, τὴν ἐν τοῖς συμβόλοις τούτοις ἀποκρυπτομένην ὥσπερ προκαλύμμασι θεωρίαν. Salluſtius: προκαλύμματα, velamenta. Proclus φαινόμενα παραπετάσματα τῶν ἀφανῶν τοῖς πολλοῖς, καὶ ἀγνώστων διανοημάτων. Tegmenta apparentia cogitationum vulgo non apparentium, & incognitarum: hæc omnia ſignificant, myſticam eſſe poeſim, neque eſſe literæ immorandum, ſed ſenſum excutiendum, iuxta diuinum Areopagitam: & vt Noſter hic, *non eſſe concham curandam; ſed frangendam, ſiquidem inuenturus ſis gemmam*. Rationem dat Proclus: ἡ γὰρ ἐπιπολῆς αὐτῆς ἐπαφὴ τῆς ἔνδον ἀποκρυπτομένης μυστικῆς ἀληθείας οὐκ ἀντιλαμβάνεται. ſuperficiarium enim Poetices ſtudium latentem intus myſticam eius veritatem non aſſequitur. Hoc non intelligentes infęlices quidam, & præpoſteri huius æui Poetaſtri: non enim Poetæ quando volunt pangere verſũ Græcũ, vel Latinũ, corradũt vndiq. & infarciũt ſuis nugis abſtruſiſſima quæq. & obſoletiſſima vocabula, putantes ſe rē magnam præſtitiſſe, ſi impoſuerint Tironibus neceſſitatem Lexici conſulẽdi: ſed nõ ita eſt, ὦ οὗτοι, nõ, inquã, in verbis, ſed in ſenſu cõſiſtit obſcuritas illa Poetica: quid enim eſt ſimpliciusHomero, & Virgilio, & Poeſi Barberina, ſi verba ſpectes? ſin autem τὴν ὑπόνοιαν, ideſt, ſenſum myſticum, nihil ἀναγωγικώτερον ſublimius. Quare autem omnes, qui de diuinis rebus tractarunt, tã Barbari, quam Græci, rerum quidem principia occultauerunt, veritatem autem ænigmaticis ſignis, ac ſymbolis, allegorijs itē, & metaphoris, & quibuſdam talibus tropis, modiſq. tradiderũt; cuiuſmodi ſunt etiam apud Græcos oracula? Quare etiã Poetę qui à Prophetis didicere Theologiam per arcana ſenſa multa philoſophentur? reſpondet Clemens; ὅπως εἰς τὴν τῶν αἰνιγμάτων ἔννοιαν ἡ ζήτησις παρεισδύουσα ἐπὶ τὴν εὕρεσιν τῆς ἀληθείας ἀναδράμῃ: vt ænigmatum ſenſum ſubiens inquiſitio ad inueniendam annitatur veritatem: hinc & noſtra Fides Apoſtolo: ἀποκεκρυμμένη ἐν μυστηρίῳ. 1.Cor. 2. ἵνα, inquit idem, ζητητικοὶ ὑπάρχωμεν καὶ προσαγρυπνούμενοι εἰς τὴν τῶν σωτηρίων λόγων εὕρεσιν Dei ſapientia, iuxta Apoſtolum, eſt in myſterio abſcondita, vt inquit Clemens, continenter inquiramus, & inuigilemus noſtræ ſaluti. adde his Patrem Vigerium è Societate Caluinomaſtige per Galliam in not. ad Euſeb. d. pręparat. Lib. 12, c. 7. Grauiorem, & veriorem, meo iudicio, reddit huius obſcuritatis rationem, magnus in Theologia Baſilius: In ſcripturis, inquit, Deus ſtudio voluit eſſe obſcuritatem, ad vtilitatem mentis humanę, ad excitandum dictæ mentis virtutem, & efficaciam; primum quidem vt his occupata à deterioribus auocaretur: Deinde, quod quæ labore parata ſunt, ea neſcio quo in Eſai. c. 1.

pacto magis amantur, quęque longo tempore acquiruntur; constantius permanent: porrò, quę facilè parantur, his non perinde auidè fruimur. εὐκαταφρόνητος γὰρ ἡ τῶν προχείρων παρουσία, καὶ οὐδεμιᾶς φυλακῆς ἀξιουμένη τοῖς ἔχουσιν. negligitur enim rerũ obuiarum copia, neque vlla custodia dignas ducit, qui possidet. Hęc secunda ratio videtur mihi altius petita, ex pręuaricatione, videlicet, primi nostri parentis qui cum vellet omnia scire, & obtinere, priuatus est non solum omnibus gratuitis, sed etiã lęsus in naturalibus, adeo quod ne quidem suum potuerit facere panem sine multo sudore: In sudore, inquit, tuo, vesceris pane tuo. Nihil igitur verè nostrum fit absque nostro labore, ne quidem panis: quod confirmans Apostolus, Qui non laborat, ait, non manducet. Secunda hęc Basilij ratio manifestè probata est in Dauide, & filio eius Salomone: Sapientia enim, quę magno steterat Dauidi, quam noctibus, & diebus, quam tot annis, laboribus, & tentationibus exercuerat, & assecutus fuerat, permansit ipsi, constanter vsq. ad mortem, adeo vt eandem moriens filio suo Salomoni pluribus commendaret. Sapientia verò, licet maior Salomoni à Deo data, breui ipsum deseruit, quia fuerat illam sine laboribus assècutus, vna scilicet, oratione, in visione.

Aetas posterior spreuit, &c.

Ijsdem verbis Proclus: οἱ δὲ ἀντὶ τοῦ ζητεῖν τὴν ἐν αὐτοῖς ἀλήθειαν, τῷ προχήματι μόνῳ χρῶνται τῶν μυθικῶν πλασμάτων. Hi verò, inquit, idest, ętas posterior, cum deberent quęrere latentem in ijs veritatem, vtuntur solo velo, siue inuolucro poeticarum fictionum: *Quæ tecta latebant*, Proclo est, ἡ ἀποκειμένη ἀλήθεια, *extera* vocat Pontifex quę Proclus πρόχημα. In tractatu fabularum multus est Proclus, vt defendat omnem homericam μυθολογίαν, conaturque etiam Martis adulterium, & similia physiologicè explicare, negat tamen huiusmodi fabulas iuuentuti essè scriptas, vel aliter conuenire, hac vera Platonica ratione: ὁ γὰρ νέος οὐχ οἷός τε κρίνειν ὅ, τι τε ὑπόνοια καὶ ὃ μή: nescit iuuenis iudicare latentem allegorię sensum, & quidquid in illa ętate opinione apprehenderit, retinet pertinacissimè, & ea propter diligentissimè obseruandum, vt iuuentuti non proponantur fábulę, nisi illę solę, quę ad virtutem ducunt. Hac eadem ratione Pontifex amandat omnes obscęnas fabulas; quia, *hinc iuuenes*, inquit, *proni in prauum*, &c. Fabulę enim illę pridem explosę fuerant à Republica Platonica, & Romana; Eufeb. d. pręp. lib. 2 c. 8. pręterea ne commodam quidem phisiologiam, aut allego-

riam

riam inde exculpi posse docent Athenagoras legatione obita pro Christianis, & Iustinus Martyr non vno loco; Fabulis vero illis, quas vocat Proclus κάλλιστα μεμυθολογημένας πρὸς ἀρετὴν. quę aptissimè confictę sunt ad virtutem, quàm dextrè vtatur Pontifex vt v.g. in Andromedę liberatione, Proserpinę raptu, Antęi & Herculis pugna, Herculis biuio, in Circe, labyrintho, & alijs pluribus patebit suis locis In hoc ipso operis prę-ludio proponitur fabula Orphei & Eurydices, tamquam in antecessum & exemplum, vt doceat Auctor per explicationem ὑπονοίας siue sensus mystici, quomodo sit pietas & veritas ex prophanis erueuda: non enim sacra solum pagina (vt verè infra canit Barberina lyra).

Disiectis ducit tenebris virtutis ad ædem
Sed rima lucis ignea
Pierijs vmbras inter se prodit ab antris
Regens pedum vestigia. Vid. not. ibid. pag. 275.

Et fabulam quidem ipsam nemo tibi canet elegantius nostro Marone. quoad sensum anagogicum, Vates noster etiam hic mediocritatem tenet, secutus rationem Nazianzeni, & Eurydicen nostram interpretatur dilectam cuiusque animam. hęc anima dum viuimus, non Auerni antro, sed corpori nostro, vti tenebroso carceri mancipatur, quem corporeum carcerem proprijssime describit Trismegistus c. 7. & Nazianz. orat. 16. Duplices autem sunt animę nostrę tenebrę, peccatum & ignorantia. per, *tenebras mentis*, innuit Noster, ignorantiam: per, *sordes scelerum*, peccata. Hoc in carcere & his plus quam Ægyptiacis tenebris oppressa mens nostra, suspirat ad inuisibilem suum solem Deum: sed enim carcer hic non panditur ad septichordam Orphei Citharam, sed per concentum & exercitium virtutum septem, id est omnium, vel totius virtutis, nam vt vnica est ad illam via, ita & virtus est vnica, licet in multas partes secetur, μία γὰρ κἂν εἰς πολλὰ σχίζηται. De numero septenario plenè scribere res esset ingentis voluminis, neque huius loci, vt tamen aliquid dicam de ratione citharę Orphicę, quam alludit Maronis fistula disparibus septem compacta cicutis. vide Pancirol. in Thesauro. lib. 2. c. 94. & Fabij Paulini Hebdomadas.

Georgic. 4

Orat. 42

Nazian. Orat. 23.

Non Acheronteis furijs &c. homo subito atque peccauit, sentit peccati pœnam, hęc est prima vltio, Quod se iudice nemo nocens absoluitur: Furię hę internę sunt similes Acheronteis. Quos diri conscia facti mens habet attonitos &c.

Cap. 1. in Res

pœna hæc ſimilis eſt infernali Pœna autem vehemens, ac multo ſæuior illis. Quas aut Cæditius, &c. Notabilis eſt Tex. lxx. in Threnis Hieremiæ, παραπικραίνουσα παρεπικράνθην, exacerbans

Vide Io. a Ieſu Maria in Thren.

exacerbata ſum quaſi diceret anima: Ego te Domine non tam cito exacerbaui, quin ſimul exacerbata ſim: tu enim offendi nõ potes; ego vero in te petram viuam incurrẽs, adeo offenſa ſum, vt niſi à te ſolo ſanari non poſſim. Pœna hæc cauteriatæ conſcientiæ, etiam iuxta Ethnicos, ſuperat omnem pœnam corpo-

Pag. 41.

ralem. Demophilus in ſentent. interprete Holſtenio, Homo iniquus maiora perpetitur mala dum animus ſcelerum conſcientia excruciatur, quam ſi corpus cædatur verberibus. Polyb. in ſelect. οὐδεὶς γὰρ οὕτω; οὔτε μάρτυς ἐστὶ φοβερὸς οὔτε κατήγορος δεινὸς ὡς ἡ συνείδησις ἡ κατοικοῦσα ἐν ταῖς ἑκάστου ψυχαῖς. Nullus eſt teſtis tã terribilis, neque accuſatortam infeſtus, quam eſt conſcieniia, quæ in no-

De aruſp. reip.

bis inhabitat: Eæ ſunt pœnæ, inquit Tullius, quæ ſunt ſolæ hominum ſceleri à Dijs immortalibus conſtitutæ, nam corporis quidem noſtri infirmitas multos ſubit caſus, per ſeipſum denique corpus tenuiſſima de cauſa ſæpe conficitur, Deorum tela in impiorum mentibus figuntur. Hic metus noſter eſt ad-

S. Macar. ho. 15 pag. 93.

uerſarius perpetuus, vſque ad Dei tribunal. Athanaſius quæſt. 26. ſed hoc magis eſt, quod non ſolum ſcelus patratum, ſed etiam conceptum torquet conſcientiam: notabile exemplum citat Iuuenalis, ex Herodoto:

Sat. ead.

Spartano cuidam reſpondit Pythia Vates, &c.

Sacer Textus refert Cainum concepto iam fratricidio fuiſſe cruciatum. Quare iratus es, inquit Dominus, & quare concidit vultus tuus? numquid ſi bene egeris recipies? ideſt, continuo frueris bonæ conſcientiæ pace: ſin autem malè, ſtatim in foribus peccatum aderit, ideſt, ſimul cum ipſo peccato, peccati pœna, triſtitia mortem operans, atque adeo ipſe infernus: hæc

Vide Caſſ. collat. 1 c. 13. & ſequen.

fuga, & tremor malæ conſcientiæ poſt malefactum, metus adeo homini proprius eſt, vt etiam illum brutis aſſcribat Poeſis Lana poſt Homer.

Æneid. 11.

Ac velut ille prius, quàm tela inimica ſequantur.
Continuò in montes ſeſe auius abdidit altos
Occiſo paſtore lupus magnoue iuuenco.
Conſcius audacis facti, &c.

Vid. ad Conſilium præcedat opus, &c.

Hanc animæ peccatricis ſollicitudinem, & *orci aſſiduũ metũ* vt ait Pontifex, nemo propius, propriuſque expreſſit Hierocle aureorum Pythagoræ verſuum aureo interprete: εἰς αἴσθησιν τῆς εἰργασμένης ὑπὸ τῆς συνειδήσεως ἑλκόμενον στρεβλοῦσα τὴν ψυχὴν καὶ δειματοῦν

νῦν τὰ ἐν ᾅδου κολαστήρια; Si admissorum conscientia in eorum sensum pertrahatur, animo distorqueri, & pœnas inferni metuere. Hunc metum adeo exaggerat, vt agat peccatorem in tantam impietatem, vt optet animam sibi esse mortalem, vt effugiat iudicij pœnas. οὐ βούλεται γὰρ ὁ κακὸς ἀθάνατον εἶναι τὴν αὐτοῦ ψυχὴν, ἵνα μὴ ὑπομείνῃ τιμωρούμενος. Vbi etiam adstruit Sacramentũ Pœnitentiæ, idest, secundam post naufragium tabulam, & necessarium relapsis Sacramentum, vt definit Pater Canisius è Societate Lutheromastige per Germaniam.

Hanc Erebi è septo,&c. sed miseram Eurydicen, siue animã nostram clausam tam tetro carcere tam altis immersam tenebris, tantis tormentis, vt illa, προοίμιον τῆς ἐκεῖθεν κολάσεως, præludiũ æterni supplicij vocet Theologus, illigatam, quomodo eripiamus? duas alas miseræ huic animæ subministrat Dædalus in Theologia Gregorius: has alas alibi vocat λόγον καὶ θεωρίαν, rationem, & meditationem: alibi θεωρίαν καὶ πρᾶξιν, contemplationẽ, & actionem: meditatio enim supra accipitur pro actione, iuxta Psalmist: In lege eius meditabitur die ac nocte, idest, iuxta Paraphrasim Poetæ nostri: *Iussa Dei meditans capesset*. Iussa capessere, Virgilio est, iussa exequi. Quomodo dilexi legem tuam Domine, tota die meditatio mea est, idest, vt ipse Propheta eodem Psalmo: Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas, &c. Vates noster has easdem alas animæ attribuit, Rationem, in verbis:

Non cithara plectro, sed ratione vocat.

Meditationem legis, siue actionem, in verbis:

Aemula virtutum septem vis consona chordis.

Vis, siue exercitium septem, idest, omnium virtutum (nam numerus ille vniuersitatem significat) non consistit in verbis, sed, vt Paulus vocat ἐν ἔργῳ καὶ δυνάμει: in opere, inquit, & virtute 1.Cor.4.
est regnum Dei, non in sermone: idest, Christianismus consistit in operibus, & non in nomine His itaque alis subuecta anima nostra perrumpit materiam, solutaque hac carnali, siue nube, siue obuelatione, coniungitur Deo. & purissimæ luci, quantũ naturæ humanæ datum est commiscetur. Sed operæ est ipsum Theologum audire: ᾧτινι μὲν οὖν ἐξεγένετο διὰ λόγου καὶ θεωρίας διασχόντι τὴν ὕλην, καὶ τὸ σαρκικὸν τοῦτο εἴτε νέφος χρὴ λέγειν, εἴτε προκάλυμμα, Θεῷ συγγενέσθαι, καὶ τῷ ἀκραιφνεστάτῳ φωτὶ κραθῆναι καθόσον ἐφικτὸν ἀνθρωπίνῃ φύσει, μακάριος οὗτος, &c. τὴν ὕλην. Σαρκικὸν νέφος. προκάλυμμα. Noster, *Corporis carcerem*. *Erebi septum*. *Caliginem culpæ* vocat. φωτὶ κραθῆναι, vertit, *Luce frui*. πρωτογόνῳ φωτὶ μιγῆναι,

Syne-

Synesius in hymnis: progenitrici luci misceri. Hanc hominis cum Deo coniunctionem, idest, beatitudinem, diuinè expressit ante Gregorium, Sallustius prædictus pag. 94. Et quod mireris magis, ibidem Christi mediatoris Dei & hominum immolationem fuisse necessariam ad hanc beatitudinem αἰνίθεται .i. prediuinat. de quo infra de Christo crucifixo ad verba: *Mors tua vita mihi est, &c. Fictos qui coluere Deos, &c.* sub hoc hemistichio Auctor noster reijcit poetas omnes Sotadicos, quicumque ante Christi natiuitatem lubricè scripserunt. horum partem aliquam citat Præceptor amoris, & simul ipsemet sua & illorum cedit vineta.

> Eloquar inuitus, inquit, teneros ne tange Poetas
> Submoueo dotes impius ipse meas, &c.

Damnantur itaque Ouidius, Tibullus, Propertius Latini; quibus adde Martialem, Catullum.

Lib 9 Var

Græcorum quorum meminit ipse Naso Callimachi, Philetæ, Sapphus, Anacreontis pauca vel nulla supersunt. Anacreontem conatur eximere hoc Catalogo Ælianus, dicens illum amasse Socraticè, id est, per pulchritudinem corporis admiratum fuisse animæ pulchritudinem. Sed ne forte cuiquam obrepat cum sua eloquentia Ælianus, præstat audire ipsum Anacreontem, suo se ore condemnantem. Ἀνακρέοντα γοῦν ἐρωτηθέντα φασὶ διατί. οὐκ εἰς θεοὺς γράφει ὕμνους, ἀλλ᾽ εἰς παῖδας; εἰπεῖν ὅτι οὗτοι ἡμῶν θεοί εἴη. Anacreontè aiunt interrogatū cur non Deos potius quam pueros hymnis suis celebraret, respondisse, quia hi nostri Dij sunt; ibi moræ pretium erit legere doctissimum commentatorem, qui alios quosdam enumerat & concludit: ὅτι περὶ παιδικοῦ ἔρωτος ἦν τοῖς ἀρχαίοις ἡ τῶν ποιημάτων σπουδὴ δημώδης ὁ λόγος. perstringens ipsum Pindarum, nominans autem Alcæum, cuius aureum plectrum tam impensè admiratus & imitatus est Flaccus noster, videtur & ipse includendus esse huic ludo, quod neque ipse inficiabitur, vel propter Ligurinum, τὸ αὐτοῦ ἐρώμενον καὶ ἐπὶ γήρως ἰδῷ. Interea quasi insensibiliter senis huius lyrici delirantis confessio liberauit me onere probandi Poetas huiusmodi omnes Sotadicos siue Venereos esse idololatras, vt subijcit Pontifex. *Cultores addunt Veneri &c. Carmina perque manus &c. sunt statuæ &c.* Et apertius in 1 & 2. Odarum hetruscarum, *Far'idolatra di terreno oggetto*: quæ enim est differentia verborum illorum quibus Israelitæ consecrauerunt sibi vitulum aureum:

Pind Schol. Isthmior 2. in princip.

ἔτοι οἱ θεοί σου Ἰσραήλ. & Anacreontis: οὗτοι ἡμῶν θεοί εἰσι.

Nomine posthabito Christi, rituque piorum, &c.

Transit iam ad pseudochristianos Poetas voluptarios, quos nō potuit iustiore, neque grauiore obiurgatione incessere Auctor noster, quam si obijceret illis neglectum Christi nomen, & ritum piorum; Per *Christi nomen*, fidem Christianā, per *ritum piorum*, opera Christiana intelligit: ritus significat consuetudiné, mores, officiū, Virg. Teutonico ritu soliti torquere cateias. idest, Teutonum more, & telis pugnare. *Piorum*, Idest. Christianorum. Paulinus: Æneid. 8.

Pietas abesse Christiano, qui potest?
Namque argumentum mutuum est
Pietatis, esse Christianum: & impij
Non esse Christo subditum.

Coniūgit itaque vtrumq. Apostolicus Vates, & *nomen Christi* idest fidem, & *ritum piorum* idest opera; vt indicet se Christianum non agnoscere per solam fidem, neque per sola opera sed per fidem operibus animatam. Dei Filius inquit diuinè S. Macarius cognominatus est Christus, idest, Vnctus, vt eodem oleo, quo ipse vnctus est, nos etiam vncti siamus Christi, eiusde r, vt ita dicam, substantiæ, vniusq. corporis, idest, diuinę, vt ait Princeps Apostolorum, consortes naturæ. Magnum est mysterium Christianismus, magna dignitas, cui nihil potest comparari: ideoq. Pontifex monet hominem Christianum in verbis, *Nomine posthabito Christi:* vt memor tanti nominis, nihil illo indignum committat, q. d. dicti Macarij verbis: Agnosce nobilitatem tuam, te vocatum esse ad regiam dignitatem, genus electum, sacerdotium, & gentem sanctam. Ne tamen in sòlo nomine Christianus acquiesceret, subiungit, & requirit *ritum piorum*, idest opera sancta. Oleum illud, siue vnctionem, à qua Christiani, idest, vncti, vocamur, gloriam, & quietem portendere, sed magno præuio labore; ne quidem Gentiles ignorauerunt: Cum itaque in castris Alexandri Macedonis Fons olei erupisset, responderunt Vates, ἐνδόξου μετ᾽ στρατιᾶς, ἐπιπόνου δὲ καὶ χαλεπῆς σημεῖον εἶ: gloriosæ quidem militiæ, sed laboriosæ, & difficilis signū esse: ita & Fons olei qui hic Romæ, nato Christo scaturijt in Taberna meritoria, nunc Sancta Maria Trans-tiberina portendit Christianis regnū, sed post multos labores, & non in hoc mundo, regnum enim Christi non est de hoc mundo, cui si non hic compatiamur, neque conglorificabimur. Ro. 8. Erupit fons ille olei non in Palatio Augusti sed in Taberna meritoria, in qua iacebant & alebantur

Homil. 43.

Homil. 27.

Plutar. in. Alexandr.

milites mutilati pro Rep.cæci, & alias longo militiæ fracti iam membra labore, ad indicandum, Christi Natiuitatem, misericordiam, requiem, & regnum portendere,sed non alijs quam qui legitime prius certauerint : prætulit huius veritatis typum Rex Dauid, qui vnctus in Regem non statim regnauit, sed septennio persecutiones & afflictiones maximas est perpessus : sic nos Christiani si volumus regnare, debemus prius septennio.i.tota vita stare & pugnare contra duplices hostes nostros, internos & externos, de quibus S:Macarius Hom 21. corripit itaque meritò voluptuarios hos Poetas Auctor noster : Qui *fœdis modulis flagitiosa canunt :* & monstrat ipsos esse indignos nomine Christiano, & respectu nominis & operum ; Nominis quidē quia Ἰησοῦς χριστὸς θεοῦ υἱὸς ὤν, ἁγνότατος· καὶ διδάσκαλος τῆς
S Cyrill Hierosol in Cathe. ἁγνείας ἐξεληλυθὼς ἐξ ἁγνῶν παστάδων χριστιανοὺς καλεῖσθαι ἡμᾶς κατηξίωσεν. Iesus Christus Dei filius existens purissimus ipse, & omnis puritatis Doctor, ex purissimis thalamis progressus, quid aliud petit à nobis nisi vt & nos ἁγνείας σώτεροφοι καὶ σωφροσύνης μαθηταὶ τὸν θεὸν ἁγνείας μεστοῖς χείλεσιν αἰνυμνήσωμεν castitatis alumni & discipuli temperantię Deum castis labijs celebremus?Respectu operum, & officij indigni sunt nomine Christiano huiusmodi Poetæ, officium enim hominis Christiani probat esse Gregor.Nazian.
Orat.19. solum spectare & curare salutem suam & proximi : πιδμαπκοῦ ῆ καὶ τῶν καθ' ἡμᾶς πρὸς ἓν μόνον βλέπειν τὴν σωτηρίαν. &c. Item S. Maca-
Homil.13. rius : aduentu Christi, inquit, fructum alium atque aliam Iustitiam requirit Deus ; nempe puritatem cordis, conscientiam bonam, sermones vtiles, castas & probas cogitationes, omnia denique Sanctorum officia.

De *nomine Christi nunquam posthabendo* Poetæ Christiano id est, semper & carmine & operibus præferendo, acriter philosophatur Theologus à Nazianzo : qui locus quia grauiter flagellat Nouatores nostros, non visus fuit prætermittendus. εἰς τί γὰρ ὁ χριστιανὸς, τίμιον &c. cur enim, inquit, Christiani nomen venerabile est? an non quia Christus Deus? nisi fortasse hoc humano more facio, amicitia nempe cum eo conglutinatus. Atqui & Petrum honore prosequor : nec tamen Petrianus vocor : & Paulum, nec tamen Paulianus nominatus sum. non fero me ab hominibus nomen ducere, qui à Deo sum creatus: Quid ais ò Gregori? non sustines à Petro nominari, qui à Christo audiuit: Beatus es Simon Bariona &c. Ego pro te rogaui Petre &c. Tu es Petrus & super hanc petram &c. non dignaris à Paulo nomen ducere, qui à Christo vocatus est, Vas electionis? οὐ δέχομαι, inquit, παρ' ἀνθρώπων ὀνομάζεσθαι παρὰ Θεοῦ

Θεοδιδάκτος. nolo, inquit, ab hominibus nominari, quia ex Deo natus sum. Erubescant infelices isti quos non pudet à Luthero, Caluino & similibus pestibus nomen ducere, hominibus tantum abest vt à Deo, at ne quidem à moribus vnquam vel doctrina probatis, neque probandis.

Cultores addunt Veneri &c, Tantum abest vt Poetas illos amatorios Auctor noster dignetur nomine Christiano, vt etiã illos esse Idololatras probet, idque hoc modo: Christianus Deũ solum in memoria debet perpetuò habere. scriptum est enim: Diliges Dominum Deum tuùm ex toto corde tuo: ne Dominum dumtaxat diligat, quando Oratorium ingreditur, sed etiam inambulans, colloquens & edens meminerit Dei, diligat & vnicè amplectatur illum, Siquidem ait; vbi mens tua, ibi & thesaurus tuus. cui enim rei alligatum est cor alicuius, quoue trahit illum cupiditas, hoc est illi Deus. Si cor Deũ semper expetet, ipse Dominus est cordis eius: hæc S. Macarius, ibi notandum. Si non licet homini Christiano Dei immemorem esse in rebus naturalibus, & licitis, quomodo culpandus non, est ille & Idololatra, qui non obiter, neque in licitis, sed in illicitis contra Deum, & proximum:

Cultores addit Veneri, pubemque pudicam. &c.

Quod certè non fit, nisi quis insudet, & impallescat obscenis illis compositionibus. Sed explicatius, & propius ad mentem, & verba Auctoris nostri egregius Pater Cyrillus Hierosolym. Ab vno Deo, inquit, diuersis modis multi aberrarunt: quidamque Solem Deum fecerunt, vt occidente Sole, nocturno tempore, sine Deo permanerent; alij Lunam, vt de die Deum non haberent: alij mundi partes: alij artes: nonnulli cibos: quidam voluptates: & qui fęminarum insano tenerentur amore, nudę mulieris simulachrum in sublimi collocatum, de nomine Veneris nuncupantes, adorarunt per id quod cerneretur, animi sui affectum, &c. Hæc est eadem illa historia, quam tantum non ijsdẽ verbis citat hic Pontifex, & quotannis recolit Ecclesia in festo Exaltationis viuificæ Crucis: Gentiles igitur illi impij per signũ Veneris adorabãt τὸ πάθος τῆς γυναικομανίας, i. suã mulierositatẽ. Catheches. 4.

Ter fælix Helene, &c.

verissime. Non vidit Roma similẽ triũphum; nõ videbit orbis nõ cælũ, Crux enim gloria est ipsius Christi: Venit hora inquit, vt glorificetur filius hominis. Crux gloria est Angelorum, ἄγγελοι γὰρ ἐγκαυχῶνται λέγοντες. Angeli enim in illa gloriantur, dicentes Iesum crucifixum quæritis. Non potuisti dicere o Angele, Scio quem quæritis, meum Dominum: sed confidenter Vid. Cyrilli Catechef. 13 Fol. 11. 4. Matth. 16. 6.

dicit:

dicit:Scio;quod crucifixum: corona enim est Crux, non ignominia. Crux gloria est Christianorum: Mihi absit gloriari nisi in Cruce Domini. Crux terror vnicus est dæmonum. Gloriatio igitur gloriationum est Crux καύχημα καυχημάτων ὁ σταυρός.

Carmina perque manus hominum. &c.

Statuas nudas Venerum, Cupidinumque multum valere ad proritandam libidinem, innuit hic Pontifex: plus tamen orationem, sed plurimum carmina. Similes statuas esse irritamentũ

Lib 9. Var. Histor.

languentis Veneris probat notabili exemplo Ælianus: Adolescens, inquit, erat Athenis, qui incensus insano amore simulachri bonæ fortunæ, cum illud à Repub. neque pretio, neque precibus impetrare posset; se tandem ipse amoris impotens in complexu dictæ statuæ à se prius adoratæ, coronatæ, & largiter defletæ, interemit. Picturæ etiam huiusmodi acres sunt diuitũ vrticę, quod non ignorans Ferdinandus secundus æt. mem. Imperator, cũ assumptus ad Imperiũ, in arce Pragensi reperisset varias huiusmodi picturas, fęlici quidẽ, sed audaci, & impudico penicillo ductas, offensus obscęnitate nudorum corporum pudicissimus Princeps, iussit illico tabulas illas omnes refigi, & incendi: & cum Aulicorum quidam suggereret illud Iudæ: Ad quid perditio hæc, Possent enim illa venumdari multo, & Reip. impendi. Respondit idem pijssimus Cæsar: Nihil esse rerum omnium apud se tanti, vt eapropter Dominus offendatur, & continuo, ne quid inde subduceret Aulicorum auaritia, iussit omnes in suo conspectu comburi. Hanc ego flammam puto foliatum illud æquasse quod Magdalena Domino discũbenti infudit: vnguenti enim odor totam domum impleuit, flamma vero illa toti mundo præluxit: pretio certe, & dignitate offerentis longe superauit. Mouent itaque multum statuæ, & tabulæ, sed plus mouet oratio.

Sat. 6.

Vox blanda, & nequam? digitos habet, inquit Iuuenalis, probat hoc hemistichium vere à Pontifice carmina statuas vocari, non marmoreas vel ligneas, sed tantum non viuas, quæ non solum sono prouocent, sed quasi manu impellant auditorem ad turpia. Magnum irritamentum libidinis est ab obscę-

Vid. l. 2. de Vet. Monach. cap. 6.

nis cantilenis, inquit Laurentius Landmeter:

nam talia sæpe
Cantantur, quibus incendi iam grandior æuo
Laomedontiades possit, Nestorque moueri.

Contra hæc reposuit Apostolus colloquia, hymnos, cantica de Spiritu Dei profecta. Cuius exemplo pie, & prudenter faciũt Patres Societatis, qui iuuentuti Romanæ prælegunt Poemata

Ro-

Romani Pontificis: vt vna cum elementis tradant & pietatem solidam. & doctrinam. nam

carmina non prius
Audita, Pastorum supremus
Virginibus puerisque cantat.

Quibus ego Patribus, quia me olim in nobili, & Romana Eburonum Legia, literis, & æterno hereseon odio imbuerunt, reddo breue hoc, & vile elogium, & θρεπτήριον, siue spiritualis nutricationis premium. Orationis vim mirificè expressit Thaumaturgus: δεινὸν τε γὰρ χρῆμα καὶ εὔστροφον λόγος ὁ ἀνθρώπων. Vehemens, inquit & volubilis quædam res est hominum oratio, varia sophismatibus, atque fallacijs, vt cum aures subierit menti citò, quæ velit ingerat, atque insculpat: & quos semel occuparit; his, vt ipsā pro vera colant omnino persuadeat. Itaque hæret intus, quamuis falsa, fallaxque sit, & instar præstigiatoris alicuius, regnum obtinet ipsius, quem deceperit defensa protectaq. præsidio. &c. Carmina vero sunt longe vehementiora. Multum ponderis habent præcepta carmini intexta, & affectus nostros velut edicto coercent, & obligant: Nam, vt dicebat Cleanthes, quemadmodum spiritus coactus clariorem sonum reddit, cum illum tuba per longi canalis angustias tractum, patentiore nouissime exitu effudit; sic sensus nostros clariores carminis arcta necessitas efficit. Eadem negligentius audiuntur, minusque percutiunt, quā diu soluta oratione dicuntur: vbi accessere numeri, & egregiū sensum adstrinxere certi pedes: eadem illa sententia, velut lacerto excussa torquetur. Blanda nimis inquit Macarius Mutius est Musarum vis ad vtramque partem, & carminum modulatio, si aures pateant Facile enim, quæ velit ingerit secum, & mētem sermonis suauitate occupat, & animum inuitum quoque quo velit inclinat: adeo vt non immerito glorientur Sirenes illę Homericę: neminem vmquam mortalium impune scopulos suos præteruexisse.

Panegyr. in Origenem.

Casp. Sciopp. præf. ad Elem. Stoic.

De Triumph. Christi

Sunt statuæ Aonia quas polit arte labor. &c.

Pindarus ad verbum vocat statuam, siue ornamentum Æginæ suum hymnum: χαρίεντα δ' ἕξει πόνον χώρας ἄγαλμα. Ægina habebit gratiosum meum laborem, ideſt, hymnum: τῆ χώρας αὐτῆς ὄντα ἄγαλμα. ciuitatis ipsius statuam siue ornamentum, ait Scholiastes: Alibi vocat στάλαν παρίου λίθου λευκοτέραν: Columnam pario lapide candidiorem alibi: θαητὸν μέγαρον præclaras ædes: & cōformiter vocat Poetas τέκτονας ὕμνων, fabros hymnorum. Carmen autem quanto sit nobilius quam statua, nemo melius vmquam cecinit eodem Dircæo cycno: οὐκ ἀνδριαντοποιός εἰμι, &c.

vbi Interpres vetus. Aiunt, inquit, Pytheæ cuiuſdam familiares Pindarum acceſſiſſe & petijſſe ab eodem vt in laudem dicti Pytheæ carmen epinicium ſcriberet, quia pancratio vicerat; Pindaro verò exigente mercedis loco tres drachmas, reſpondiſſe illos, præſtare ex totidem drachmis ſtatuam æream Pytheæ ponere, quam carmen emere, & abijſſe: poſtea verò reſipiſcentes eoſdem ad Pindarum reuerſos, & tres petitas drachmas adnumeraſſe: hoc exprobrans ijſdem lyricus hymnum auſpicatur: Non ſum, inquit, ſtatuarius qui fabricer immobilia ſimulachra, ſed carmina quæ nauibus & equis peruolent totum orbem: & concludit interpres; ὅτι οἱ λόγοι πάντων εἰσὶ βελτίους. carmina rerum omnium eſſe præſtantiſſima. alibi idem Poeta vocat hymnum χρονιώτατον ἀρισθενέων φάος ἀρετᾶν diuturniſſimum lumen præpotentium virtutum.

Nam cum rupta ſitu Meſſalæ ſaxa fatiſcant,
Altaque iam Licini marmora puluerea,
Carmina morte carent.

Carminis tanta eſt gratia, vt etiam incredibilia faciat credibilia. ἡ τῆς ποιητικῆς φησὶ χάρις, καὶ τὰ ἄπιστα ποιεῖ πιστά, inquit Interpres. Tāta eſt vis, vt extinguat fulmen Iouis: ſopiat alitem eiuſdem armigerum: Martem domet τὰ τῆς μουσικῆς κηλήματα, καὶ τὰς θεῶν θέλγει φρένας, ait Interpres. i. Ipſam etiam Diuum pertentant carmina mentem.

Quis prauos abiget cultus &c. accenſus zelo diuini amoris & honoris Vates noſter, quali olim fuerat Sancta Imperatrix Helena, optat ſibi à Deo dari ſpiritum poeticum ſanctum, quo ſicut Helena ſtatuas Veneris, & Adonidis per erectionem viuificæ Crucis euertit & aboleuit, poſſit & ipſe carmina illa Venerea, & qui in illis eſt, ſpiritum fornicationis, contrarijs carminibus & Spiritu ſancto diſſlare. nam & ſtatuæ per ſtatuas contrarias & cultus per cultum contrarium abrogatur, l. nihil tam naturale ff. de R. I. & pſalmodia ſacra auribus & corde excepta, omnem obſcænitatem carminum & ſpiritum immunditiæ vel diſſipat vel exurit. Spiritus enim ſanctus ventus eſt (Vide Iuſtin. Martyr. q 107) ille vehemens & vrens, qui mare rubrum vertit in ſiccum, (Exod. 14.) vehemens eſt: nam & deſcendit in Apoſtolos in ſono ſpiritus vehementis. (Act. 2.) vrens eſt, nam inuocat illum Eccleſia. Vre igne ſancti ſpiritus renes &c. Spiritus itaque ſanctus ſiccat & vrit noſtrum mare, id eſt carnales affectus, propterea enim & Poeſis fingit Venerem ortam eſſe mari. orabat itaque S. Gregorius.

ἀλλ' ἐπιβαίης
Οἴδματος ἡμετέρου καὶ σάλος αἶψα πέσοι.

tu mare nostrum.

Scande igitur: nam mox sæua procella cadet.

Cur magis oblectant lauri &c. hic Auctor noster conuenit omnes Poetas Christianos, & monet vt Crucem sanctam, vnicam arborem salutiferam, & auspicium sibi statuant & præmium. Quid vobis, inquit, cum Apollinea lauro? quid cum Venerea myrto? nam per *myrteum sertum* hac eadem Elegia, Poeta noster damnat omnia fescennina, myrtus enim est Veneri sacra, quare etiam Maro miseras illas & amoris impotentes amantes occulit sylua myrtea in campis æternum lugentibus. Quid tibi cum hedera & similibus nugis? si Crux fidelis inter omnes arbor vna nobilis, exhibet tibi *diuini amoris pignus?* illam igitur solam in fronte, in carmine præfer, in corde circumfer. Pignus hoc diuini amoris Chrysostomus βασιλικὸν σημεῖον. signum siue tesseram regiam vocat. Cyrillus Hieros. ἄφεσιν τῶν ἁμαρτημάτων, καὶ πνευματικῆς δωρεᾶς τοῦ βασιλέως τὰ χαρίσματα. & χρέος. fenus, vsuram, vel debitum appellat; Accipis, inquit, nunc in remissione peccatorum & spiritali dono Regias pecunias: quando venerit bellum, pugna strenuè pro Rege tuo. Iesus pro te crucifixus est, qui nihil peccauerat, & tu pro crucifixo non crucifigeris? non tu prius gratiam illi hanc exhibes, prior enim accepisti, sed gratiam illi reddis. redde vsuram illi, id est, pignus amoris, qui propter te in hoc sacro Golgotha crucifixus est. Amoris debitum vel pignus non redditur nisi redamando, ingratus itaque fuerit poeta ille Christianus, & nomine illo indignus, qui non vndique decerptæ frondi præposuerit crucem & crucifixum, cum & ipse Apostolus neget se aliquid scire, nisi Christum, & hunc crucifixum. *Orphea cur canimus &c.* Ab hoc versu vsque ad calcem primæ huius Elegiæ, in eo est Pontifex vt persuadeat Christiano Poetæ materiam & campum esse amplissimum poetandi, Testamentum nouum & vetus, tantum non ipsis verbis vtens Apostolicis: τί γάρ σοι καὶ λείπει ἐν τῷ νόμῳ τοῦ θεοῦ, ἵνα ὅτι ἐκεῖνα τὰ ἐθνικὰ μυθάρια ὁρμήσῃς. εἴτε γὰρ ἱστορικὰ θέλεις διέρχεσθαι, &c. nam quid in lege Dei desideras, vt ad illas Gentilium fabulas animum velis appellere? si enim historias legere cupis, habes libros de Regibus. siue sophistica, id est, quæ argute ad sapientiam referuntur. Siue Poetica, habes Prophetas, Iob, Prouerbia, in quibus plus acuminis, quam in omni poesi & sapientia sophistarum reperies, quod is qui solus sapiens est illa effatus est. siue cantilenas expetis, habes Psalmos; siue vetu-

Catechef. 13.

Lib. 2 Apostol Constit. cap. 6.

ſtąs rerum origines habes Geneſim ; ſiue leges, & præcepta, ha-
bes legem Domini celebrem , ab omnibus igitur alienis & à
Diabolo excogitatis fortiter abſtine . Per *Chriſtum* , Auctor
noſter Teſtamentum nouum : per *Moyſen* , vetus intelligit .
Quid igitur tibi cum fabuloſo Orphei ad inferos deſcenſu, cũ
habeas Chriſtum rediuiuum, triumphatorem, non cum vel ſi-
v.Petr.1. ne Eurydice, ſed cum captiua captiuitate ad Patrem reducem?
Matth.17. Quid tibi cum ineptiſſimis & nugaciſſimis Metamorphoſibus
Naſonis , cum habeas Chriſtum in Monte ſancto coram triũ-
uiratu Apoſtolico transfiguratum ? Et radium ſiue ſcintillam
ſuæ diuinitatis euibrantem ? Sed non eſt conſilium hæc lon-
gius explicare , nè fortè, vel ταυτολογίαν incurram, vel veſtibulũ
hoc nimis laxum , totum mihi ædificium denormet . contra-
ho igitur vela, & loca hæc omnia Scripturæ quæ adducit Pon-
tifex reijcio in ſuum commentarium .
Sit mihi dux Moſes , &c. hic mihi obijcitur . Quomodo Au-
ctor, qui ſibi & alijs Poetis ante propoſuit ducem & materiam
Crucem Chriſti , in *Cur magis oblectant lauri, &c. Si Crux
diuini pignus , &c.* & iam proponit ſibi Ducem Moyſen ? Re-
ſpondeo hæc non eſſe contraria . Chriſtus eſt enim Alpha , &
Omega primus & nouiſſimus principium, & finis legis, & Pro-
phetarum . Nã & ipſe Moyſes ſecutus eſt & adorauit Chriſtum
Ad Hæbr.c.11 maiores diuitias æſtimans , inquit , Apoſtolus, theſauro Ægy-
ptiorum improperium Chriſti. & ipſe Pater noſter Abraham,
exultauit vt videret diem Chriſti, & vidit & gauiſus eſt. aptiſ-
ſimè itaque Pontifex incipità Chriſto eoque crucifixo, in ver-
Io.cap 8. ſibus iam citatis , & deſinit in Chriſto , in : *Dirige iam dociles
digitos Ieſſeæ propago* , id eſt ò Chriſte fili Dauid. ſequiturque
diuinum Euangeliſtam , qui incipiens . Liber generationis ,
Matth.1. inquit, Ieſu Chriſti filij Dauid, &c. & finiẽs. Iacob autẽ, ait, ge-
nuit Ioſeph virũ Marię de qua natus eſt Ieſus, qui vocatur Chri
ſtus. Petebas itaq. ò VRBANE Põtifex Moyſis ſpiritũ & poeticã,
& adiecit tibi Deus inſuper Moyſis cathedram, adiecit & Sacer-
dotium Aaronis, quemadmodum enim Moyſi ſucceſſit Petrus,
qui nouam Eccleſiam Chriſto, verumque Sacerdotium crea-
uit, ſic & tu ſucceſſiſti Petro . dedit, inquam, tibi tanto maio-
rem cathedram , quanto Orbis maior eſt Palęſtina. ſubiecit ti-
bi non populum Iſraeliticum tantum, ſed cum illo omnes ge-
S.Machar Ho nerationes . Petebas plectrum Dauidicum, dedit tibi Deus, &
mil.26. ſceptrum : petebas lyram , dedit & thronum , & huius quidem
tantæ in te clementiæ non pœnitere Prouidentiam , decimo
octauo , quod rarum eſt, iam voluente anno tui Paſtoratus ,
compro-

comprobatum eſt. ***Sic malus e regis***, &c. Tangit hic Pontifex hiſtoriam de Saule, & Dauide breuiter deſcriptam 1.Reg c.16. Igitur, quandocumq. Spiritus Domini malus arripiebat Saul, Dauid tollebat citharam, & percutiebat manu ſua, & refocillabatur Saul, & leuius habebat, recedebat enim ab eo ſpiritus malus. Temperare non poſſum quin adſcribam huius loci inſignem paraphraſim doctiſsimi Patris Baſil j Seleuciæ, quia, & huic loco mirificè facit, & ad laudem diuinæ Poeſeos ἔδει τῆς τοῦ Δαβὶδ βασιλείας ἀνατελλούσης, τὴν τοῦ Σαοὺλ ἀποσβέννυσθαι, &c. id eſt, Dauſqueio interprete Oportebat regno Dauidico eniteſcente Saulicum extingui: Vt igitur Sol exoriens noctem depellit, & obſequenter in noctis confinio radiorum lucem mundo impartit: ſic Dauidis exoriente principatu, Saulis regnum vergebat ad occaſum. Deſertam igitur à gratia, nec habitatam Saulis animam nactus dæmon, proprium ſibi effecit domicilium,& aduentus ſui notas euentu rerum dedit. Prudentia de mentis arce deturbabatur, tranſuerſim agebantur oculorum pupillæ, dæmoniacis motibus obturbabatur, quolibet rapiebatur pro dęmonis voluntate. Paulum vero à dęmonis obſidione nactus induciarum, ſeruis ſequeſtris Dauidi ſupplex fuit & ad verum regem ab eo qui in ſpeciem obtinebat imperjũ, legati deſtinati pro dónis hortamenta tunc deferunt ſupplicãdi forma Dauidis dignitatem proclamant, clandeſtinum hoſtẽ dęmonem eſſe denarrant, regis aduerſas res enunciant, nec amplius Saulem regnatorem eſſe confitentur. Solue inquiunt, & quieſce inuiſam obſidionem, ipſum quis neſcit eſſe captiuum? hoſtem reprime factis dumtaxat graſſantem. Pugnantem non videmus ipſi, non telorum vulnere deprehendimus. Legatos humanè excipit Dauid,& mox erat in armis ſpiritus. Pſalmus enim,& lyra,& gratia arma ſunt in dęmones. Loquebatur tantũ & hoſtis vinciebatur,& lyræ melos, veluti telum iaciebatur in dęmonem. Quis audiuit trophæum cantibus excitatum? Res itaque diuina eſt Muſica,& cantus harmonicus dęmones fugat, pellit morbos, afficit bruta, mouet ſaxa, trahit ſyluas.

Orat.14.ſub fin.

Et monſtrum Iſacia perge fugare lyra.

Vid.not.Pij ad Epiſt.Sidon.

Fugam hanc dæmonis,& auerſionem à diuina Muſica inimitabiliter, vt omnia cecinit eadem Thebana lyra:

Ὅσσα δὲ μὴ πεφίληκε — Quæcumque non amat
Ζεὺς ἀτύζονται βοὰν — Iuppiter, auerſantur vocem
Πιερίδων ἀΐοντα — Pieridum audientia
γᾶν τε καὶ πόντον κατ᾽ ἀμαιμάκετον — Per terram,& per mare vaſtum.
ὅς τ᾽ ἐν αἰνᾷ ταρτάρῳ κεῖ- — Quique in horrendo tartaro

ται θεῶν πολέμιος — Iacet Deorum hoſtis
Τυφὼς ἑκατοντακάρηνος — Typhœus centiceps.

Tiphœus ille centiceps οὐκ ἀριθμητικῶς, ait interpres, ἀλλ' ἀντὶ τοῦ πολυκέφαλος non arithmeticè centum habens capita ſed multa. Diabolus eſt præcipitatus in imum tartarum inſtar Pindarici huius Gigantis. Monſtrum aptiſsimè vocat Pontifex, ideſt, πολυμήχανον θηρίον ſiue vaſerrimam beſtiam cui nomina mille, mille nocendi artes. Monſtrum eſt, quia omni Proteo omni Vertumno mutabilior eſt, mendax, homicida, fornicator, & tandem transformans ſe in Angelum lucis, & verſans ſe in omnia vt ſeducat à Deo miſeros mortales. Horatius Monſtrū hoc ſiue Diabolum vocat Belluam centum capitum.

Quid mirum? vbi illis carminibus ſtupens
Demittit atras bellua centiceps aures. &c.

Hanc beſtiam ſuperant ſacra carmina, præmiſit enim lyricus.

Sed magis
Pugnas & exactos Tyrannos
Denſum humeris bibit aure vulgus.

Ideſt virtutes decantatas virorum fortium, & cædes & exilia Tyrannorum.

Quæcumque per mare & terram auerſantur Muſicam, &c. dæmones hi ſunt aerei & marini; ſunt homines qui harmonia non delectantur, id eſt, homines nō harmonicè compoſiti. Huiuſmodi homines (ſi dicete fas eſt inquit Ficinus) dicam non eſſe à Deo compoſitos; qni in numero, pondere, & menſura cuncta componit. Dicam præterea non eſſe amicos Deo Θεῶν πολεμίους, ait Pindarus. qui vſqueadeo conſonantia gaudet, vt mundum ob hoc ipſum creauiſſe potiſſimnm videatur, quo ſingula quidem mundi membra, & ſibi inuicem & vniuerſo concinerent. Vniuerſum verò ipſum auctoris ſui intelligentię, bonitatiq. pro viribus conſonaret.

Vid lib. 6. epiſt.

Quæritur apud magnum Athanaſium, qualem orationem, aut quod verbum ex omnibus orationibus, atque verbis plus timeat diabolus? & reſpondet: διηγήσαντό τινες πνευματοφόροι ἄξιοι τοῦ πιστεύεσθαι, &c. Narrauerunt, inquit, nobis ſpirituales viri fide digni, quod aſpectu ipſo, & de facie aliquando apparuerit eis diabolus, & quæſitus hanc ab ipſis quæſtionem; re-

ſponderit

ſponderit his verbis: non eſt in toto tam veteri, quàm nouo Teſtamento verbum terribilius, atque magis noſtram diſperdens poteſtatem quam initium ſexageſimi ſeptimi Pſalmi: primo enim verbo prolato, Exurgat Deus, & diſſipentur inimici eius: mox vlulans euaneſcit & diſparet diabolus, factis oſtendens huius orationis virtutem. Canebat itaque Dauid vel hunc vel alium Pſalmum, & fugabat diabolum qui Saulem infeſtabat, neque enim diſtinguit ſcriptura. Cæterum non videtur ἐξαγώνιον ſiue alienum ab hoc loco, narrationem attexere ſuper virtute huius Pſalmi, quo dicitur vſus Reuerendus Pater Dominicus à Ieſu Maria, in inſigni illa victoria Pragenſi, contra Hæreticos Eccleſiæ Romanæ hoſtes, & Cæſaris. Eram ego paucis menſibus poſt illam cladem in nobili Germaniæ ciuitate Nuremberga, ibique ſubſiſtendum mihi erat propter hyemis aſperitatem; delatus fuerat ad idem diuerſorium vir nobilis Germanus, grauiter adhuc crure ſaucius, qui pro Frederico Palatino contra Cæſarem ſteterat, circumferebat ille domi militiæque tria volumina, Teſtamentum vtrumque, & Homerum græcè, & Virgilium, dicebatq. Sacrā Scripturā ſibi eſſe pro cibo animæ: Homerum pro corporali, in bellicis, & œconomicis: Virgilium pro bellarijs. perſtrepebat igitur in amplo hypocauſto, & cæteri Lutherani pendebant ab ipſius ore. Ego licet Bibliothecam quam ille folle ſarcinario, mente fere circumferrem, loquebar tamen quiduis potius, quàm græcè, vel latinè: verebar enim & refugiebam occaſionem diſputandi cum hæreticis hominibus contentioſiſſimis obſtinatiſſimiſque. Aſſimulabam igitur me idiotę, ſed diſſimulare non poteram me, vt illi loquuntur, Papiſtam eſſe, prodebat enim me, ſagum Hiſpanienſe & loquela. Hoſpes noſter erat Silicernium Epicuri ſiue Lutheri de grege, vti & dictus, Nobilis. Sed hoſpes impendio loquax erat & importunus, neque ceſſabat dictum ſaucium exagitare propter dictam cladem, & identidem petere. Quomodo Lutherani tanto numero ſuperiores tam infæliciter pugnaſſent? vel potius nè quidem pugnaſſent? quodam igitur die Nobilis ille iterum à ſene admorſus caperata fronte, & ſuſpirans cecinit παρῳδῶν verſus hos ex diuina Æneide.

Non mihi Tyndaridis ſedes inuiſa latinæ
Culpatuſue Paris, verum inclementia Diuum
Has euertit opes, ſtrauitque à culmine Pragam.

Quibus auditis, ego qui multa deuoraueram ſcommata contra Sedem Apoſtolicam Romanam: multa contra Sere-

nissimum Bauariæ Ducem, & Principem Electorem Maximilianum: multa contra Serenissimum eiusdem fratrem etiam Principem Electorem Ferdinandum, Coloniensium, & Leodiensium Antistitem Dominum meum: tum sanè intelligens per τὸ latinam Tyndaridem, siue per Sedem latinæ Tyndaridis, Romanam Ecclesiam appeti non me vlterius tenui, sed tanquā pro aris & focis ex tempore αὐτοσχεδιάζων ex eadem Poesi totidem versus in aduersarium retorsi:

Romulus hæc cernens arcum intendebat Apollo
Desuper, omnis eo terrore Aegyptus & Hussus
Omnis Arabs, omnes verterunt terga Lutheri.

Hac inexpectata velitatione, Lutheranis asidentibus grauiter ictis & commotis, & acriter in me intendentibus, ego me inuehens: Romulus ille inquam, siue Romanus Apollo, non ferro armatus miles fuit, sed inermis, pauper, & Religiosus vir, nomine Pater Dominicus, qui tū tēporis nomine Romanę Ecclesiæ cōtra Hæreticos pugnauit, & succurrit Romano Imperio periclitanti, eapropter enim firmū est Romanū Imperiū quia innixū, & innexū est Romanæ Ecclesiæ petræ, cuius veritatis alia nō requiritur probatio, quā Imperiū Orientale, quod non tam cito ab hac Petra desciuit, quin etiam pessum ierit subditumque fuerit cum tota gente vni & eidem barbaro Tyranno, cui subiecti sunt Iudæi: hi propter σκληροκαρδίαν, siue duritiam cordis, Græci verò propter leuitatem & inconstantiam. Fas igitur non erat præualere portas inferi, idest, hæreses aduersus hanc petram. Arcus autem quem intendit Pater Dominicus pro Ecclesia & Cęsare, fuit gladius ille, & arcus cuius meminit Patriarcha Iacob ad filium suum Ioseph, fuit illud ὅπλον siue scutum vel armatura, vt vocat Marcus Augustus qua vtebantur milites Christiani pro eodem Imperatore, & Imperio laborante contra Barbaros in hac eadem Germania: fuit, inquam, oratio. Postquam enim dictus Pater Dominicus consilio bellico interrupto persuasit Duci Bauariæ vt continuò duceret in hostem, nequidquam reclamante Bucquoio, primipilis se immiscuit, & stetit Sacerdos ante aciē, & sic locutus est ad exercitum: Audi Israel, vos hodie contra inimicos vestros, siue colluuiem hanc Hęreticorum pugnam committitis, non pertimescat cor vestrum, nolite metuere, nolite cedere, nec formidetis eos: quia Dominus Deus vester in medio vestri est, & pro vobis contra aduersarios dimicabit, vt eruat

Gen cap. 48.

Iustin. Martyr Apol. 2. in fine.

Deuter. c. 20.

vos

vos de periculo. nec mora, ſignis iam vtrimque canentibus, cecinit & ipſe, orauitque ex toto corde: Exurgat Deus & diſſipentur inimici eius, & fugiant, &c. neque alia arma contra vos protendit, quam crucem Domini, triumphale Eccleſiæ militantis vexillum, quod Conſtantino Cæſari victoriam portendit. Quod ab eadem Sede Romana miſſum per Marcum Antonium Columnam, minacem illam & immanem Turcarum claſſem ad Echinadas depreſſit, cepit, diſſipauit; Quo Moyſes per eleuationem brachiorum præſignato Amalecitas cecidit; Quo viſo vos omnes correpti eſtis tanto Panico timore, (terrorem Dei vocat Scriptura) & acti in turpiſsimam fugam, qualem vos melius me noſtis & ſenſiſtis. Genes. 35. Tuus verò Paris .i. Fredericus Palatinus qui potuit non eſſe culpatiſſimus? homo ſubleſtiſſimæ fidei in Deum & homines, primo Lutheranus, poſt Caluiniſta, infidus in Deum: infidus in Cæſarem Dominum ſuum: nũquid poteſt eſſe pax Zambri qui interfecit Dominum ſuum? Iuſtè igitur iudicauit Deus & Paris tuus non ſolum Helenam id eſt Regnum Bohemię quod Cæſari eripuerat, ſed inſuper Oenonem ſuam, ideſt Palatinatum amiſit. 4 Reg. 9. In te verò Generoſe Domine, nulla fuit Diuum inclemẽtia, quin potius clementia, quam tu vt alter Paulus, Eccleſiæ eiuſdem tum temporis perſecutor, proſtratus deberes agnoſcere, & dicere: Domine quid me vis facere? & Dominus mitteret te nõ in ciuitatem Damaſcum, ſed Romam vbi tu recognoſceres fidẽ maiorum, non fidem nouorum horum & recentium, quos non nouerunt Patres tui. His auditis Nobilis ille, neſcio an putãs me Græcè ignorare, vt mihi illuderet coram ſuis collutheranis, vel an ſeriò, conuenit me Grecè verbis Agrippę. ἐν ὀλίγῳ inquit, πείθεις, μὲ Ῥωμαῖον γίνεσθαι ferè perſuades, inquit, me Romanum fieri. Et ego ad illum Grecè, eundem textum continuans εὐξαίμην ἂν τῷ θεῷ inquam, &c. optarim à Deo non tantum te, ſed etiam omnes, qui me audiunt fieri tales, qualis ego ſum, ideſt non amplius ἑτεροδοξεῖν quoad fidem, inquam, vereor enim abſolutè vti verbis Sanctiſsimi Apoſtoli, & citatis teſtimonijs ex Poeſi Greca, & Latina, & Euãgelio pro æternitate S. Sedis & Imperij Romani: non habens Sectarius quod mihi obijceret, dexteram mihi tetendit, & fateor, inquit, Dareti Entellum contigiſſe. Vid Relig orthodoxæ primord. pag. 84. Et ego occurrens ex eadem Æneide: Cede igitur Deo, ideſt veritati; dixique & prelia voce diremi: Habuique ex illo Lutheranos illos æquiſsimos, & coniunctiſſimos. Sed vt reuertar vnde digreſſus ſum: Auctor noſter apprimè ſciens diuinam virtutem Dauidicæ huius

testudinis siuē citharæ, multis illam celebrat & aduocat à Deo & tandem sentiens diuinum motum siue furorem (de quo supra) agnoscit fugam dæmonis.

Fallor, an exanimis lasciui carminis ardor
Aufugit, &c,

Vid Clemen. Alexaud Pro trept princip.

Sacra itaque Poesis sauat & tranquillat animam ἀφροδίσια νοσοῦσαν siue putrem in venerea: siue ira, vel inuidia turbidam, vt Saulis. Sanat corpus, Chiron enim centaurus curabat morbos corporales mollibus incãtationibus tractans μαλακαῖς ἐπαοιδαῖς ἀμφέπων. Apollo Musicus est, Apollo Medicus, Apollo ἑκηβόλος.i eminus iaculans: Apollo, inquam, non ille Iouis, & Latonæ, sed Christus Dei vnigenitus, Deus verus de Deo vero: non solum ipse Musicus, sed omnis harmoniæ Auctor. Medicus non herbis curans, sed verbo sanans, instaurans & continens omnia. sagittarius, non Pythonem eminus sagittis, sed serpentem antiquum cominus ligno Crucis interemit. Ipsi soli honor, & gloria.

ψυχᾶν παίονι,	Animarum medico;
παίονι γυίων	Medico corporum;
πατρὶ σὺν μεγάλῳ	Patri simul excelso
πνεύματί θ' ἁγνῷ	Spirituique sancto.

Hæc est eadem illa Iessea propago, vt loquitur Pontifex, post cuius inuocationem, & aspirationem concludens canit.

Itala tu mecum pubes cape nobile plectrum
Et monstrum Isacia perge fugare lyra.

Suadetque iuuentuti vt nō assuescat carmini nisi sacro, quod possit, debeatque in æternum Domino decantare; Sed iam quia audio Pontificem ipsum τὰν Δωρίαν ἀπὸ φόρμιγγα πασσάλω λαβόντα προψιλαφᾶν, idest, prçludere, & Moysis ἆσμα ἐπινίκιον citharæ adaptare, sisto & ego hic stylum, & vocem.

Synesius.	Petauius.
Εὐφαμείτω	Pax sit
Αἰθὴρ καὶ γᾶ	In æthere,& in terra:
Στάτω πόντος	Sistat mare,
Στάτω δ' ἀὴρ	Sistat aer:
Λήγετε πνοαὶ	Cessate afflatus
Βαλίων ἀνέμων	Variorum ventorum.
Ἐχέτω σιγὰ	Teneat silentium
Κόσμου λαγόνεσσι	Mundi plagas,
Ἱερουμένων	Dum sacrantur
Ἁγνῶν ὕμνων	Sancta carmina.
Δύτω κατὰ γᾶς	Condant se sub terram
Ὀφίων συρμὸς	Serpentes sinuosi.
Δύτω κατὰ γᾶς	Condat se sub terram
Καὶ πτανὸς ὄφις.	Et alatus Draco, &c.

Hymn 3.

Καὶ κατὰ γᾶς σύγε Μῶμε, παρῳδός· ὅπως τε καὶ ᾠδὸς
Ἆσαι ἅμ' Ἑβραίᾳ ἶσα δυναίντο λύρᾳ.

Et tu Mome sile, Iesseæ possit vt Auctor;
Et simul Interpres consonus ire lyræ.

πανημέριοι πονέονται.



Exercet sub Sole labor.

RA-

RATIO
ET OECONOMIA

Προανακρούσεως,

Siue Præludij, vel Paraphraseos
BARBERINÆ.

SOlent aulędi, citharędi, & cæteri id genus Cantores Musici, & Poetæ quando meditantur egregium carmen, prius prętētare, seu præludere, & voce, & neruis. Huiusmodi præludia, Græci προανακρούσεις, προαναφωνήσεις, ἀναβολὰς, προψιλαφήματα, ψαλάξεις, &c. appellant. Quod non faciunt sine magno exemplo, quia imitantur Deum, & almam rerum naturā. Solet enim Deus Regnorum mutationes, & Regum exitia pręloqui in stellis, quas Cometas vocant. Latini Stellas cincinnatas nominant; cuiusmodi stella visa est nuper, & bellum hoc Germanicum nondū debellatum portendit. Hanc stellam cincinnis suis Germaniæ minitantem solebat aspicere (plusculis enim continuis noctibus apparuit) non sine horrore Albertus Pius Archidux Austriæ Belgarum Princeps. Conabantur illi timorem hunc eximere, vel minuere certi Astrologi, stellam illam diuersimodè φυσιολογοῦντες, vel potius φυσιοληρῶντες. sed reijciębat omnes prudentissimus Princeps, & dicebat:

Οὐδεὶς κομήτης ὅστις οὐ φέρει κακόν.

Nullus Cometa non præsagiens malum.

Et satagebat Deum precibus, & vera pietate lenire. Christus Saluator noster primo aduentui suo prælusit in Prophetis, & stella illa Regali, quæ Magos ex Oriente Hierosolymam deduxit: secundum suum aduentum præueniet signis in Sole, Luna, & Stellis. Terra fructibus prælудit per flores. Mare tempestati, per signa quę canit Maro. Et summatim nihil fit in rebus diuinis, & humanis absque præludio. Et hęc dicta sint quasi per parecbasin contra Politicos nostros, siue Atheos Statistas: sunt enim etiam iam qui post Christum natum, & tantum doctrinæ diuinæ lumen.

Sunt in fortunæ qui casibus omnia ponant
Et nullo credant mundum Rectore moueri.
Natura voluente vices & lucis, & anni,
Atque ideo intrepidi quæcumque altaria tangunt.

Huius-

Huiusmodi ego impios missos facio, neque alio dignor responso: tantum prædico exurrecturas in iudicio contra illos omnes Barbaras nationes, remittens illos ad hominem Romanum, nè quidem Christianum. Vid. Ælian. Var. lib. 2. ὅτι μηδεὶς τῶν βαρβάρων ἄθεος.

Noster itaque Poeta etiam præludit, sumpto in manus Psalterio septem chordarum, alludens videlicet ad Orphicam citharam cuius mentionem fecerat in prima Elegia, septiesque & septies pollice prætentat & pulsat singulas fides, catechizando & assuefaciendo illas, nihil aliud nisi diuinas laudes resonare, idest, paraphrasticè canit quatuordecim cantica ex vtraque sacra Pagina: & subindè ex vtraque lege vnam miscet consonantiam, & vnò pollicis ictu omnes neruos pulsat, dũ accinit hymnum Ambrosij, & Augustini nomine totius Ecclesiæ, cuius ipse Vates futurus erat, & est caput in terris. Docet igitur Poetas Christianos, si aliud non possint, saltem paraphrasticè Deum laudare, proponitque in ipsa paraphrasi omne ferè genus carminis, nè ad vnum videatur illos alligare: stringens ipsos iterum Apostolico dilemmate: Tristatur aliquis vestrum? oret: Æquo animo est? psallat. Nihil enim sunt & Præludium Barberinum & Poesis tota, nisi orationes, & Psalmi: Martyrum laudes: peccaturo frænum: peccatori metus iudicij, & gehennæ: pœnitenti lacrymæ: iuueni senique lucerna: virtuti calcar: matrimonio honor: virginitati palma: viduæ solatium: & vt præcidam, vera Philosophia, tota veritas & pietas. Et hęc quidem est ratio Præludij. In œconomia imitatur Magistrũ nostrum Christum, quis enim potius, quàm futurus Christi Vicarius? Christus itaque post resurrectionem suam adiungẽs se Discipulis illis duobus euntibus in Emaus, explicaturus illis Scripturas, quæ de se erant, incipiens, (inquit Lucas) à Moyse & omnibus Prophetis interpretabatur, &c. Et Auctor noster proponens sibi scopum vnicum Christum, auspicatur suum Præludium siue Paraphrasim à Moyse, qui prætulit Christum, ait enim ipse in Textu sacro: Prophetam de gente tua & de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsũ audies. Hic Propheta est Christus, vt interpretatur Princeps Apostolorum. Auspicatur igitur à Moyse Poeta noster, vt à typo Christi deducat Lectorem ad ipsum Christum, præmittit itaque duo ipsius cantica. Descenditque à libro Exodi ad Deuteronomium. Deuter. cap. 18 Act. 3.

Sequitur Annæ canticum ex primo Regum, sanctæ, & Euangelicę fœminæ & Prophetissæ, Euangelicę inquam, quia prætulit

tulit Euagelicam doctrinam, nón prædicando, (hoc enim nón est sequioris sexus) sed exemplo, docuit enim nos orare mente, nō labris, quā doctrinā Christus Præceptor noster & Saluator renouauit dicens: Deum spiritum esse, & spiritu velle adorari. De Anna ait Scriptura: Porrò Anna loquebatur, siue orabat in corde, tantumque labia illius mouebantur & vox penitus non audiebatur. Docuit eadem mulier ex sancto connubio sanctā sobolem prodire. Fuit hæc mater Samuelis Iudicis & Prophetæ, qui & ipse Christum prætulit vitę innocentia, tanta enim fuit fiducia morum & virtutum, vt auderet ijsdem ferè verbis vti ad populu quibus postea Christus vsus est ad Iudęos: Quis ex vobis arguet me de peccato? Hic Samuel vnxit Dauidem in Regem de quo dictus Apostolorum Princeps: Et omnes, inquit, Prophetę a Samuele & deinceps qui loquuti sunt annuntiauerunt dies istos. idest, Christum.

Recto igitur ordine sequuntur Psalmi Dauidici septem nam huius precipuè lyram admiratur & imitatur Pontifex, Dauid, inquit Hieronymus, Simonides noster, Pindarus & Alcęus, Flaccus quoque, Catullus, atque Serenus Christum lyra personat, & in decachordo Psalterio, ab inferis excitat resurgentem, Imò etiā dicatur VRBANVS, Simonides noster, Pindarus, &c.

Inter Pontifices Romuleos potens
Princeps Æolium carmen ad Italos
Deduxisse modos.

Deuter 29. Sequitur Canticum Ezechiæ Regis, qui fecit quod erat placitum in conspectu Domini, iuxta omnia quę fecerat Dauid Pater eius, fuit etiam hic ex maioribus Christi iuxta genealogiam Euangelicam.

Subditur Canticum Isaię Prophetę qui fuit contemporaneus dicti iam Ezechię Regis. Orauerunt igitur, inquit textus Ezechias Rex & Isaias filius Amos Prophetes aduersus hāc blasphe-
Deuter 29. miam, ac vociferati sunt vsque in cęlum. Hic non tam Propheta dicendus est quàm Euangelista Ita enim vniuersa Christi Ecclesięque mysteria ad liquidum prosecutus est, vt non putes eum de futuro vaticinari, sed de preteritis historiam texere. Vir fuit nobilis & vrbanę eloquentię, ait Hieronymus. Sequitur Canticum Habacuc Prophetę, hic contemplatur Christum in Cruce pendentem, & dicit: Operuit cęlos gloria eius, &c. cornua in manibus eius, ibi abscondita est fortitudo eius.

Sequitur Canticum trium puerorum, inter quos apparuit Angelus, vel Christus in fornace ardente, ait enim Nabuchodonosor: Ecce ego video quatuor viros solutos, & ambulantes

tes

tes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis est, & species qu arti similis filio Dei.

Sequitur Canticum Deiparæ Virginis quę Christum & prædixit & tulit, & prima quem genuit adorauit, prima Christianorum Poetria, & Mater. Vtriusque Legis μεταίχμιον siue cōfinium & aurea fibula. Cuius laudes melius sonabit infrà Barberina lyra. Præterire tamen non possum elegantissima verba Sancti Patris Basilij Seleuciæ, quibus opera sua claudit: ὦ παναγία παρθένε, &c. O Virgo sanctissima, de qua qui cū laude grauiterque dixerit non lle quidem à veritate aberrabit, sed pro merito haud fecerit satis: supernè nos respice, esto propitia, &c. adde Theologum Nazianzenum. πότνια πότνα παμμάκαιρα παρθένε, &c. Canticum Beatissimæ Virginis sequitur Canticum Zachariæ, postquam enim lingua ipsius soluta est, repletus fuit Spiritu sancto, & prophetauit dicens: Benedictus Dominus Deus Israel.

In Christo pariente sub fin.

Canticum Zachariæ sequitur Canticum Simeonis iusti & timorati senis, qui responsum acceperat à Spiritu sancto non visurum se mortem nisi prius videret Christum Domini. Adductum itaque puerum Iesum gaudens agnouit & accepit eum in vlnas suas & benedixit Deum & dixit: Nunc dimittis seruum tuum Domine &c. Impositurus coronidem Paraphrasi suę Pōtifex canit hymnum compositum à Sāctis Doctoribus Ambrosio & Augustino, quem Ecclesia catholica quotidie canit ad imitationem illius æuiterni Cherubici trisagij. Hic hymnus continet mysteria vtriusque Testamenti. Laudat Sanctissimam Trinitatem: plectit superbiam Luciferi, corrigit fastum Protoplastorum nostrorum Parentum, probatque omnem penitus spiritum debere esse subditum Deo, cantando Te Deum laudamus te Dominum confitemur &c.

Obijciat hic aliquis quare Auctor noster in sua Paraphrasi nullam faciat mentionem Iobi, & Salomonis, cum vtrumque quinque στιχηροῖς idest carmine scriptis libris accenseat Gregorius Nazianzenus? Iobi mentionem non facit, quia licet multa diuina & de Deo canat, nullum tamen hymnum in Deum canit, quem commode potuisset Pontifex traducere. Pręterea vt supra dictum est Iobus præcessit Moysen & ideo est extra chorum & ordinem quem tenuit Christus & Pontifex, incipiētes à Moyse & prophetis. Salomonis non meminit quia non decebat futurum Ecclesiæ Pastorem laudare virum neque à scriptura neque ab Ecclesia probatum. Scriptura quidem narrat ipsius sapientiam & posteriorem stultitiam. Quemadmo-

dum inquit eruditus es in iuuentute tua, & impletus es quasi flumen sapientia &c. Et inclinasti femora tua mulieribus: potestatem habuisti in corpore tuo, dedisti maculam in gloria tua, & prophanasti semen tuum inducere iracundiam ad liberos tuos, & incitari stultitiam tuam vt faceres imperium bipartitum. Et Salamon quidem non tantum ipse peccauit, sed etiam peccauit in minoribus suis, quos ipse suo exemplo docuit Idola colere. Sanctus tamen Cyrillus Hierosol. dicit, Salomonem pœnitentiam egisse: καὶ Σαλομὼν ἐκπέπτωκε. ἀλλὰ τί φησι; ὕστερον ἐγὼ μετενόησα. Et Salomon, inquit, ceciderat. Sed quid inquit? postea ego pœnitentiam egi. Hoc ego magis opto quam teneo verum esse, sane credere non teneor, dicit enim Scriptura: Præter Dauid & Ezechiam & Iosiam omnes peccatum commiserunt. Nam reliquerunt legem Altissimi Reges Iuda & contempserunt timorem Dei &c. Sed repones: numquid Dauid commisit homicidium & adulterium? commisit: sed post admonitionem Nathan Prophetæ perfudit Dominus animam eiusdem tam mordaci hyssopite, vt subito emaculata & dealbata emicuerit super omnem niuem, quem tantum postliminio candorem admirans Scriptura, dicit Dauidem non peccasse. Idem dicendum est de Principe Apostolorum, ipsum peccasse & quasi non peccasse. Nam tertia negatione vix tota prolata gallus cantauit, & respexit Dominus Petrum, sed tam penetrabili & vulnifico aspectu vt non potuerit Petrus vel punctum ibi subsistere: deserto igitur loco peccati, egressus foras anima diuino vultu saucia, totus iuit in lacrymas: quæ lacrymę fuerunt tantę expiationis & Domino tam acceptæ vt voluerit eundem Petrum Ecclesiæ suæ manere & fidei solidissimum & pęnitentiæ absolutissimum exemplar. Sed hic subsistat mihi Prodromus & interiugat vnà cum hoc Decembri. Anno nouo (si diuina fauerint & meus Auctor) perpetuo commentario totam Barberinam Poesin diducam & ad vmbilicum perducam.

Catechef. 2.

Ecclesiast.

Vid. Meron. in Aula cap. 12

LAVS DEO.

VOTVM PRO STRENA

AVSONI.

IAne veni, nouus anne veni, renouate veni Sol
VRBANI decimam nonam visure curulem.
Nil ab Apostolica nunc maiestate secundum
Quod mireris habes. Roma alta Petrique cathedra
Et toga Cardinei ardens murice tota Senati
Hoc capite æternis signet sua tempora fastis.

DORMALI.

Ἵλαθί μοι Διπρόσωπε τοῦ ἐν ἱεροῖς βασιλῆος
Νυνὶ δὶς ἐννεάκις τὸν θρόνον εἰσορόων.
ΟΥΡΒΑΝΩ μὲν ἔτη δὸς τρίπτυχ', ἐμοὶ δὲ, σοφοῖο
Παννομέως γράψαι τ' ἄξια καὶ λαλέειν.

ΕΝ ΜΕΛΙΤΙ ΜΟΥΣΑΙΣ ΤΕ
ΜΕΛΙΣΤΑΓΕΕΣ ΜΕΛΕΔΩΝΑΙ.



IN MELLE ET MVSIS
MELLIFLVVM STVDIVM.